THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
LIBRARY
832M44
OcgLm
1621f

CENTRAL CIRCULATION AND BOOKSTACKS

The person borrowing this material is responsible for its renewal or return before the **Latest Date** stamped below. **You may be charged a minimum fee of $75.00 for each non-returned or lost item.**

Theft, mutilation, or defacement of library materials can be causes for student disciplinary action. All materials owned by the University of Illinois Library are the property of the State of Illinois and are protected by Article 16B of *Illinois Criminal Law and Procedure*.

TO RENEW, CALL (217) 333-8400.

University of Illinois Library at Urbana-Champaign

When renewing by phone, write new due date below previous due date. L162

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

https://archive.org/details/comoediagrisoldi00maur

Reproduction of the copy

L.rr. 05

in the

Staatliche Bibliothek

Bamberg

1054992

Mutuo clauſtris Erebi cohercens
Fama preſſabit: tacitis ſuſurris
Arguens mentes timidas: nec ipſi
Vtiles vitam patriæ elocanti:
Inde demerſos Stygios ſub amnes,
Vel reluctantes, pauidosq́, plectro
Neſcient Muſæ memori aut futuræ
Tempora ætatis vaga: dum perenne
CVRTIVS *viuet φιλοπάτρεις ævum.*

F I N I S.

LIPSIAE
IMPRIMEBAT MICHAEL
LANTZENBERGER.
Impenſis Valentini Vœgelini Bibliop.
ANNO
M. D. XCV.

Comœdia

GRISOLDIS;

Anno 1582. Germanicè ſcripta, & Stiræ in Auſtria acta,

Per
M. Georgium Mauricium
Patrem,

Nunc verò in Altdorfinæ Academiæ uſum Latine converſa,

Per
M. Georgium Mauricium
Filium.

ALTDORPHI Noricorum
Typis exſcripſit Balthaſar Scherffius,
Typographus Academicus.
MDCXXI.

Magnifico Ampliſſimoq;

ORDINI NOBILISSIMORUM
DOMINORUM SCHOLARCHARUM,
celeberrimæ Academiæ
Altdorfinæ,

Grato devotoq; animo
Griſoldin ſuam
dedicat & offert
anno 1621.

M. Georgius Mauricius
Filius.

DRAMA-

DRAMATIS PERSONÆ.

Paulinus, Hugo, Franciſcus – Ordinum provinciæ delecti.
Cancellarius.
Nicolaus, Criſpinus – cives.
Gualtherus, Marchio Salutiarum.
Gubernator.
Præfectus arci.
Tribunus militum.
Fridericus, Lucas, Paulus – Conſiliarii.
Concionator aulicus.
Præco.
Griſoldis, conjunx Marchionis Gualtheri.
Curſor.
Janiculus, Jacobellus – Ruſtici.
Ruſtica.

Oeconoma, ſeu Gynæcei magiſtra.
Præfecti uxor.
Archimagirus.
Ruſcio } moriones.
Lapus }
Equiſo.
Æmilia } pediſſequæ aulicæ.
Johanna }
Promtulus ſervus.
Æthiopica uxor Pygmæi.
Pygmæus.
Comes Banochius.
Comes puer, filius Gualtheri.
Filia Gualtheri.
Hoſpes nobilis.
Nutrix.

ARGU

ARGVMENTVM.

G*ualtherus, oræ Marchio Salaſſiæ,*
R*uri educatam ducit uxorem domum.*
I *nde autem obædientiam uxoris volens*
S *pectare, ſimulat filiamq; & filium*
O*ccidi: apud ſororem alit quos clanculum.*
L *ongeq; poſt à limine aulæ conjugem*
D*epellit ipſam, ad ruſticos mittens lares.*
I *lla aſt utramq; redditam prolem à viro*
S *ibi videt, recepta tandem in gratiam.*

 ACTUS

ACTVS I. SCENA I.

PAULINUS, HUGO, FRANCISCUS; CANCELLARIUS.

HUnc morem pleriq; homines habemus, ut tum deniq; noſtra intelligamus & æſtimemus bona, cùm quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus. Nemo enim incolumis cõſiderat, quàm jucunda res ſit valetudo. Si autem morbus eum lecto affigit: tum demum perpendere incipit, quàm pretioſo valetudinis theſauro careat. Eodem modo nos jam non agnoſcimus ingens Dei beneficium, qui pacem & publicam trãquillitatem huic eſt largitus provinciæ. Quod ſi bellum fortè ingruat: næ tum demum recordabimur, quanta fuerint pacis commoda: quam certè hoc tempore non prout decet, ſuſpicimus.

HUGO.

HUGO. Non equidem diffiteri poſſum, ſatis diſſolutè, ne dicam in Deum ingratè nos vivere. Ac ſæpe cogito de parentis mei ſermonibus, qui dixit: ſe puero eandem ſecuritatem atq; improbitatem in hac ditione graſſatam fuiſſe: donec tandem belli tumultus, qui totam vaſtabant Italiam, tum ſummos, tùm infimos miſerè peſſundarent. Ceſſante autem periculo, homines ad ingenium rediſſe, ac ſe prioribus ſceleribus involviſſe.

PAULINUS. Securitatis hujus cauſſa mihi videtur eſſe ea, quòd jam per multos annos tranquilla fruimur Republica: quia inclytus Comes noſter præſtanti utitur prudentia ac moderatione ſingulari. Imitatus in hoc laudatiſſimi Parentis ſui exemplum, cujus virtute directa & felix fuit gubernatio. Quemadmodum & filius, comes Gualtherus, vix hac ætate parem habet in tota Italia. Ita virtute ac morum honeſtate velut Heſperus elucet. Unicum in eo deſiderare poſſumus, quòd tantopere abhorret à contra-

trahendo matrimonio : cujus ne mentionem quidem fieri patienter audit. Interim venationibus plus juſto deditus eſt : quod plurimi in eo culpant.

FRANC. Ego verò eum principé, qui omnibus placeat, neq; natum, neq; progignendum eſſe, neq; reperiri poſſe autumo. Ecquid verò hoc adeò in Comite noſtro reprehendimus, quòd venatui indulgeat? Quid verò voluptatis aliud inter tot ac tanta negotia ei relinquitur, niſi venatio? Cùm enim alium aliò ſua voluptas trahat : quid miramur, ſi principes ætate florentes, venatoriis ſe exercitationibus oblectent?

HUGO. Si plebis judicium ſequamur, facilè occaſionem maledicendi ſuperioribus inveniemus. Sed cogitandum, eos divinitus nobis pręfectos eſſe, quos tanquam Dei vicarios honoremus. Ut igitur in ſe ſpuit is, qui ſpuit adverſus Olympum : ita qui magiſtratus ac principes à Deo ordinatos non reverenter habet, ſed contemnit, diffamat & paſſim convitiis exagitat:

ille non feret impunè. Me quidem ſæpius mordet illa peſſima tam civium, quàm agricolarum conſuetudo, Dominis ſuis obtrectantium, eorumque nævos exaggerantium : quos potiùs tegere & excuſare debebant. Profectò enim non rarò principes regnant deteriores : quia hominum quibus præſunt, flagitia non alios merebantur, quàm aut immites tyrannos, aut pueros fatuos.

PAUL. Turpis quidem eſt dictu, ſed magis tamen magiſq; inoleſcit illa criminandi conſuetudo. Prout ipſe nuper multa ſcurrilia & contumelioſa de illuſtri Comite noſtro audivi narrari : quòd nuptias procraſtinando, populum ſibi ſubjectum valdè offendat, ac à ſe alienet. Eademq; de re querelæ motæ ſunt in proximis (quod noſtis) comitiis. Quamobrem in aulam nunc concedemus, ut quia ex ordinibus delecti ſumus, totius provinciæ nomine aperiamus, quid majori conſultantium parti fuerit viſum.

FRANC. Spero, Dominum Comi-

tem precibus noſtris emollitum iri, ut de ducenda uxore cogitet. Ac ſanè opportunè Cancellarius nobis fit obviam: qui cùm ſit vir optimus, novit, quid ſit è re totius provinciæ: atq; ipſe idem, quod nos optamus, Comiti perſuadere contendit.

CANCELL. Revertor jam in aulam ad principem noſtrum, variis ac gravibus negotiis diſtentum: quæ tamen ita feliciter expedit, ut ei etiam aliquid otii ſuperſit ad ſaltus canibus venaticis, & comitatu aulico perluſtrandos: vel ad obeunda alia certamina equeſtria, ludoſq; ingenuo principe dignos, ejuſq; valetudini non inutiles. Sed audio, provinciæ Ordines querelam quandam me interprete ad illum delaturos, de non ducta ab eo conjuge. Id quod & ipſe non probo: cùm toti provinciæ utile ſit, ex legitima uxore hæredem ſuſcipi: ne ſi ille cælebs moriatur, (quod Deus avertat) alienorum jugo omnes ſubjiciamur. Ac quicquid ipſe eo nomine præſtare poſſum, nihil in me requiri patiar.

Sed

Sed videóne ipſos ordinum delectos?

FRANC. Salve, virorum optime. Adſumus conſtituto tempore, ut deſiderium noſtrum Principi inclyto exponamus, te interprete uſuri, in quem omnium provincialium oculi ſunt directi. Teq; rogamus, ne nos deſtituas, ſed voce & auctoritate tua negotium promoveas, ut ad optatum tandem exitum perducatur.

CANCEL. Bono, Amici, eſtote animo: non ego vobis in hac cauſſa unquam deero, ſed pro virili enitar, ut quod verbis promiſi, ipſo etiam facto impleam.

ACTVS I. SCENA II.

NICOLAUS & CRISPINUS.

QUem ego dicam magiſtratum iſtum, qui officio non fungitur, ut decet? cujuſmodi noſter Comes eſt, qui nihil penſi habet, an hoc vel illud provinciæ aut proſit, aut obſit? Ille quidem noctuq; dieq; feris infe-

ctandis

ctandis ſe oblectat. Interim autem de rebus ſubditorum non eſt ſolicitus: neq; negotia & controverſiæ privatorum in judicio aulico expediuntur: ſed mora moleſtiſſima interponitur, ut ſæpe litigantes re infecta, triſtique vultu aulam relinquere cogantur. Adeò ſubditos ille ſuos pro fungis ac ſtipitibus habet. Vectigalia quidem & tributa valde anxiè & properè exigit: ac ſi quis non ſtatim numerat pecuniam, ei per vim illa eripitur. Sed ut finis litibus & intricatis actionibus imponatur: hei mihi, quàm ſæpe in arcem tranſcurſo opus eſt! Porrò eſt & alterum Comitis noſtri crimen: quòd non in animum inducit uxore ducta legitimum provinciæ hęredem ac dominum procreare, ne ad peregrinos olim devolvatur imperium.

CRISP. Hunc affectibus ſuis excæcatum eſſe reor, qui tam putidè & ignominiosè de principe ſuo loquatur. O lingua virulenta! An non quilibet etiam privatorum, aliquando ludos deliciaſq́; ſectatur? cur ergo vi-

ris

ris principibus vitio vertimus, quòd venationibus interdum ſe oblectent, atq; ita continuorum negotiorum moleſtiam diſcutiant? Et quamvis ille in ſilvis animi cauſſa aliquantiſper ſe abdat tamen Regimen aulicum interim officium facit, ac lites componit & controverſias decidit: ut omnibus conſtat ſubditis. Nec verò exactionibus & tributis nimium gravamur: nemoq́; inventus eſt, qui ob acerbiorem tributorum exactionem penates ſuos deſerere, ſolumq́; vertere coactus fuiſſet. De nuptiis dies conſilium monſtrabit. Nondum enim omnium dierum Sol occidit. Faceſſe ergo, lingua venenata, & illud cogita: Alios monere, ſi quid errent, novimus: Errata at ipſi noſtra non cognoſcimus.

NICOL. Atqui eventus docebit, ſi quid humanitus Comiti acciderit, quàm triſtis rerum facies ſit futura. Cujus quidem calamitatis ipſe Comes cauſſa & caput eſſet, ejuſq́; conſiliarii, conjugium (ut Deus malis exemplis illos perdat!) diſſuadentes.

ACTUS

PAULINUS, HUGO, FRANCISCUS.

FElici ergo ſidere eò rem perduximus, ut Comes noſter de futuro matrimonio cogitationem ſuſcipiat. Quam ad rem plurimum attulit momenti Cancellarius, qui quamvis in ſumma auctoritate ſit apud Comitem: tamen provincialibus etiam patrocinatur, & eorum commodis ſtudet. Næ illiuſmodi jam virorum magna nobis penuria eſt, qui antiqua ſint virtute ac fide, & propterea non amãdi tantùm, ſed etiam in ſinu geſtandi.

HUGO. Certè melius cum rebus humanis, & in primis cum principum aulis ageretur, ſi tam fidis abundarent illæ conſiliariis.

FRANC. Perplacuit mihi hominis ſermo, adeò nervosè ac rotundè proponentis ea, quæ ad rem faciebant. Sed ipſe Comes egreditur. Utinam preces ad eum noſtræ ſint efficaces!

ACTUS

GUALTHERUS COMES, GUBERNATOR, PRÆFECTUS ARCI, CANCELLARIUS, TRIBUNUS MILITUM, FRIDERICUS, LUCAS, PAULUS Conſiliarii.

QUò profundius rem cogito, & in omnes partes voluto: eò videtur mihi difficilior. Conjugium enim multis incommodis implicitum eſſe deprehendo. Quotus enim quiſq; eſt maritus, qui uxorem habeat in omnibus (ut decet) morigeram? Ergóne ipſe meo jumento malum mihi attraham?

GUBER. Clementiſſime Princeps, oramus atq; obteſtamur, ut precibus noſtris annuas, & voti hujus nos facias compotes. Agnoſcimus, eum nobis principem obtigiſſe, qui virtutibus excellat, & imperium laudabiliter adminiſtret. Quo nomine beatos nos ſemper prædicavimus. Modò illud etiam obtinere poſſemus, ut ad

uxorem

uxorem ducendam animum applicares. Non dubito, quin tum cuncti huic ditioni ſubjecti, promtiſſimo animo facturi ſint omnia, quæcunq; tu ipſis injunxeris aut impoſueris.

COM. Quod ſi uxori me devinxero, non ita licebit mihi venationibus operam dare, aut ludis & certaminibus equeſtribus. Nam quicunq; uxorem ducit, libertatem ſuam amittit: qua nihil in hac vita pretioſius, aut homini convenientius.

PRÆF. Immò tuâ perſonâ digniſſimum eſſet, ſi maritus audires, & ex generoſa conjuge generoſam procreares ſobolem. Hæc res plus tibi voluptatis afferret, quàm venatus & aucupium, quàm ludi & certamina equeſtria. Ne itaq; à ſacro & felici hoc vitæ genere ſis alienior.

COM. Ego verò, mi Præfecte, cùm tu domi habeas uxorem ſævam, quæ te non rarò tractat injurioſiùs: miror, quòd & me in eoſdem laqueos involvere ſatagis. Mihi quidem libertas auro potior eſt. Si tu vinculum con-

jugale amas, per me quidem tres ſimul uxores ducas licet.

CANC. Atqui Domine, libertas multis ſæpe damnoſa fuit. Nam liberè in campo oberrans ovis, lupo fit præda: cùm ſtabulo incluſa, potuiſſet eſſe incolumis. Nec uſu conjugii prohibeberis ab omnibus exercitationibus ludicris, quibus ante hac es aſſuetus.

FRID. Neq; ego cervices meas cupidè huic jugo ſubmiſi. Jam verò crede mihi, auro contrà uxor mihi chara eſt.

LUC. Cùm vagos amores ſequerer, tum corpore & animo captus eram, & amicæ ſerviebam. Nunc autem, ubi uni uxori fidem dedi perpetuam, verè liber mihi eſſe videor. Ac propterea gratias ago & Deo, & fautoribus illis, qui mihi ad hoc vitæ genus ſuſcipiendum hortatores fuerunt.

TRIB. Quamvis extra conjugium vivas, inclyte Comes: poſſunt tamen clanculum tibi pulcerrimarum fœminarum amores conciliari, ut te remotis arbitris cum illis oblectes.

COM. Apage iſs impuritatem iſta, & Venerem promiſcuam, à qua toto animo abhorreo. Indigniſſimum namq; duco, virginibus ingenuis ac honeſtis matronis pudorem eripere. Nam pudicitia ſemel læſa, nulla arte eſt revocabilis. Et animo meo obverſatur illud Apoſtolicum: In ſcortatores & adulteros Deus animadvertet. Quod ſi autem veſtram ſequi debeam ſententiam: dicite ſultis, ubinā locorum probam aliquam & benè moratam inveniam conjugem.

CANC. Probæ quidem mulieres precibus à Deo expoſci & impetrari ſolent: teſtante regum ſapientiſſimo Solomone. Ipſum autem conjugium quàm ſit honorabile & expetendum, Ethnici quoq; agnoverunt, ut ex Plutarcho diſcimus. Lacedæmone enim, cujus civitatis ſpectata ac nobilitata virtus fuit: legem tulit Lycurgus, ut quilibet adultior uxorem duceret, liberiſq; operam daret, ne civibus aliquando orba eſſet Reſpublica. Quiq; uxores ducere nolebant, eo privabantur honore, quem juniores ſenibus exhibebant, cedendo de loco & aſſurgendo illis in ſpectaculis publicis. Quamobre, Dercyllidæ, quamvis præclaro duci, accedenti juvenis quidam loco non ceſſit: Quia inquit, tu quoq; nullum genuiſti, qui mihi ætate confecto aſſurgere aliquando poſſit. Iidē Lacedæmonii non parvas, neq; viro immaturas puellas, ſed adultas ac viro tempeſtivas ducebant & inſignem in ipſo conjugio præſtabant continētiam ac verecundiam. Quo nomine æternis celebrantur præconiis.

COM. Specioſè quidem & facilè iſta dicuntur: ſed difficulter nec ſine moleſtia peraguntur. Nam video, quid fugiam: quid autem ſequar, non habeo.

CANC. Si modò in nomine ac fiducia Dei opt. max. ſuſcipiatur hoc negotium: benè de ejus ſucceſſu ſperare licet.

COM. Sed alius me pungit ſcrupulus, quem velim ut evellatis. Nam ſi ducam uxorem locupletem: erit ſuperba,

perba, moroſa, & minùs obſequens viro. Sin pauperculam & abjectam: etiam ipſa honoribus elata, erit inſolentior atq; aſperior. Quocirca utrobiq; hæſito & ambigo, quid factu optimum?

Canc. Atqui poterit te digna, & moribus tuis conveniens eligi quædam, nec nimis locuples, nec nimis inops: nec nimis pompoſa, nec nimis contemta. Ac licet Italia nullam ejuſmodi præbeat: in Galliam aut Germaniam, aut Hiſpaniam, iter ſuſcipiamus, ut quæ tibi æqualis & commoda ſit, uxorem tandem inveſtigemus.

Com. Nos qui illuſtribus ſumus nati familiis, miſeriores ſumus ipſis plebejis. Homo namq; plebejus, ſeu ruſticus ille, ſeu civis ſit, tamen liberè quocunq; rapit animi impetus, eò amorem ſuum derivare, ac nullo negotio uxorem ſibi parem invenire poteſt. At principes viri non ubivis reperiunt ſe dignas conjuges: & cavere in primis debent, ne longè inferiores ducendo, familiæ ſuæ dignitatem

tem imminuant, & labem aliquam ſuis aſpergant.

Paul. Nunquam certè futurum arbitror, inclyte Comes, ut te matrimonii contracti pæniteat. Age modò, & conſilia noſtra admitte. Sed eccum concionatorem aulicum: quàm auſpicatò ſe huc appellit!

ACTUS I. SCENA V.

CONCIONATOR, COMES, CANCELLARIUS, PRÆCO.

Salvere jubeo & te, Comes inclyte, & vos, Conſiliarii prudentiſſimi.

Com. Te quoq; viciſſim ſalvere, & benè agere optamus.

Canc. Reverende Vir, quæſumus adjuves nos in exorando principe noſtro clementiſſimo, cui negotium aliquod propoſuimus.

CONCI. Si nec Dei gloria, nec munus meum, nec princeps noſter eo lædatur: facilè vobis obſequor, adjutorq; ſum.

Canc. Nihil horum: quin potiùs

 hæc

hæc tam ad Dei, quàm principis noſtri honorem tendunt: ac cedent in totius ſalutem provinciæ. Res autem, quam obtinere cupimus, eſt ut clemẽtiſſimus princeps ad uxorem ducendam applicet animum: quod hactenus ei perſuadere non potuimus.

Conci. Perperam agis, Comes inclyte, (ſed verbo ſit venia) qui in hac re difficiliorem te præbeas. An non enim tecum reputas, ætatem provectiorem tacito pede clam venire, & mortem omnibus quovis momento inſidiari? Quod ſi tu, Domine clemẽtiſſime, præmaturè nobis ac cœlebs eriperereris, id quod abominor: quàm miſer, quàm lugubris futurus eſſet totius provinciæ ſtatus? Nónne enim ad alienos, & fortaſſis immites dominos imperium devolveretur? Nónne tibi nunc parentes, immodicis exactionibus exhaurirentur? Nónne bellis, rapinis, incendiis attererentur & penitus conſumerentur? Nónne idem tumulus, qui corpus tuum contegeret, ſimul & galeam & clypeum, & nomen tuum uno ſepulchro obrueret? Quæ incommoda ut vitentur, rectè ſanè prudentiſſimi Conſiliarii cenſent, ut uxorem ſummo loco natam, & omni virtutum genere excultam tibi deligas: unde hæredes tibi naſcantur, qui (ſi aliquando Dei juſſu, ut ſatur conviva ex hac vita diſcedas) in locum tuum & dignitatem ſuccedere, perſonamq́; tuam repræſentare, & rempub. laudabiliter exemplo tuo adminiſtrare poſſint. Ita quamvis mortuus, tamen vives in filiis, quos relinques imagines morum tuorum, virtutis, conſtantiæ, pietatis, ingenii. Præterea & hoc conſideres, non te tibi ſoli natum eſſe, ſed maximam ortus tui partem provinciales ſibi vindicare: quorum ſalutem non ſecus ac tuam tueri debes. Huc enim mihi videntur omnia eſſe referenda ab iis, qui præſunt aliis, ut ii qui ſub eorum imperio erunt, ſint quàm beatiſſimi. Quare ſi uxorem tibi copulabis, & in conjugio tranquillo ac pio vivere animum induces: omnibus ditionis tuæ

ſubditis rectiſſimè conſules, & cùm vivus, tum mortuus ipſorum ſtudebis commodis.

Com. Vincor equidem vi ac pondere verborum tuorum, ut repugnare conſilio & petitioni veſtræ amplius non poſſim. Antehac quidem opinabar, mei me juris & legibus omnibus ſolutum eſſe. Nunc autem ex oratione tua intelligo, me ſubditis meis obſtrictum, & legib. divinis non minùs quàm privatos alligatum eſſe. Quocirca ſi vultis, vel potius quoniã vultis, me maritum fieri: aſſentior vobis, ac do manum, ea tamen lege, ut mihi libertas mea conſtet in legenda uxore. Quamcunq; enim mihi delegero pro arbitrio: eam provinciales ac ſubjecti omnes ut dominam ſuam excipient & reverebuntur, ſicut dignum eſt.

Conci. Hoc meritò in manu tua relinquitur. Sed ſuadeo, ut diſpicias fœminam honeſto loco natam, piam, virtute ac bona fama inclytam: quãvis non illuſtri admodum familiâ ſit pro-

progenita, dum modò tibi placeat, parùm refert.

Com. Jacta ergo eſto alea: Deus auctor matrimonii, cœpta ſecundet, & ad felicem exitum perducat. Quãobrem effice Cancellarie, ut hac de re voluntas mea omnibus voce præconis divulgetur.

Canc. Illud equidem pro ea fide, qua tuæ Clementiæ ſum obſtrictus, exſequar. Tu Præco, quemadmodũ heri mei de nuptiis ſẽtẽtiam cognoviſti: ita eandem cujuſcunq; loci & ordinis hominib[9] clara voce expone.

Præc. Audite viri ac feminæ, ſenes ac juvenes, ſummi, medioxumi, infimi: Exaudivit preces veſtras inclytus Comes, eiſq; annuit. Conſtituit namq; uxorem aliquam, divinitus deſtinatam, ſibi deligere, & legitimo vinculo conjungere. Æquum igitur eſt, ut quæ principi uxor placebit, ſive genere ſummo nata, ſive etiam inferiori: eandem vos dominam agnoſcatis, eam debito amore & obſervantia proſequamini, fidemq; omnem illi

 præ-

præſteris, non aliter quàm ipſi principi veſtro.

ACTVS II. SCENA I.

COMES, CANCELLARIUS, PAULUS, FRIDERICUS, PRÆFECTUS ARCI.

QUò diutius hanc rem mecum volvo, eò verius hoc verbum eſſe experior: Omnium hominum corda in Dei manu eſſe, qui ea tanquam rivos aquarum, quocunq; libet, inclinet. Quid enim minus futurum credidiſſem antea, quàm me animum adjecturum ad contrahendum matrimonium? Nunc autem vitæ conjugalis tanta me cupido inceſſit, ut me cœlibatus planè ſit pertæſum. Quamobrem ſecundum animi mei ſententiam legere Sponſam conſtitui. Non enim libet ad alterius nutum eam ducere, quæ mihi minùs arrideat, quamvis aut

aut Croeſo opulentior, aut Codro generoſior, aut Helenâ ſit pulcrior.

CANC. Nuptias, ad quas invitus pertrahitur quiſpiam, mellis parùm, fellis plurimum habent. Id quod ſæpe aliorum exemplis didici, quamvis nondum ſim capularis ſenex Quamobrem & ipſe ſuadeo, Domine, ne te hac in parte aliorum voluntati accómodes: ſed pro arbitrio tibi deligas, quæ tuis oculis placeat.

COM. Virgo aliqua annis florens, & pudicitiæ laude præſtans, quamvis non ita dotata, ſola mihi placebit. Quendam novi ſubditorum meorum, bonum ſanè virum, non procul hinc habitantem. Ille filiam habet virginem, quaſi 18. annos natam, oculis nigricantibus, capillis flavis, ore purpureo conſpicuam, gracili, non nimis obeſo corpore. Hæc mecum ætatem exiget, ex hac parens fieri cupio.

CANC. Quandoquidem ſtat ſententia: hoc negotium matura, Domine. Nam ſi res diutius differatur, multa intervenient incommoda, ut de

de conjugii ſucceſſu ferè ſit deſperandum.

COM. Ergo negotium aggrediemur, quod Deus fauſtum ac felix eſſe jubeat.

PAUL. Mirifica ardeo cupiditate cognoſcendi, qualem Comes ſponſam ſit electurus? Nam in tota hac vicinia neminem novi ex proceribus, ſplendida auctum cognatione. Quare conſultius judicarem, ſi trans Alpes Noſter concederet, æqualemq; ſibi uxorem quæreret.

FRID. An non audiviſti, eum parvi æſtimare vel opum copiam, vel generis ſplendorem. Omnes enim divitias ille collocat in corporis venuſtate, & mentis caſtitate. Atq; ejuſmodi quidem Sponſæ copia vel eſt in noſtra vicinia. Ac ſanè prudenter rationes ſuas videtur Comes inſtituere. Qui enim uxorem ducit, quam nec oculis uſurpavit, nec de fama cognovit: ille extremè ſtultus eſſe perhibetur.

COM. Quod & priùs juſſi, Cancellarie, da operam, ut omnia rectè curentur, nec quicquam omittatur eorum, quæ ad apparatum ac ſolennitatem nuptiarum pertinent.

CANC. Ne me moneas, Domine. Novi ego officium meum. Tu Præfecte, vide ut mundus muliebris ſit in promtu, nec quicquam ad pompam nuptiarum peragendam neceſſarium deſideretur. Et quod faciendum intelligis, maturè effice. Nam res in eo eſſe videtur, ut Sponſa quam primùm domum ducatur.

PRÆF. Summo ſtudio ac fide omnia peragentur: nec ero in mora, ſi vel craſtino die conjux ſit ducenda Comiti noſtro.

ACTUS & SCENA II.

GRISOLDIS, COMES, CURSOR, JANICULUS.

DEo grates habeo, qui me hodie in mercimoniis juvit, lucriſq; auxit rem parentum meorum. Ad hos itaq; jam revertar, rationem eis redditura de pecunia, ac porrò illis ſervitura pro

pro viribus. Quamvis enim non lu-
culenta hæreditas ab illis mihi exſpe-
ctanda ſit: ſpero tamen, Deum obæ-
dientiæ ac pietatis meæ largiſſimum
remuneratorem futurum.

COM. Hæc, ſi rectè conjicio, fatis
mihi deſtinata conjux eſt: Nam illam
intuendo exardeſco, & mentem ex-
pleri nequeo. Quàm admirabili Dei
providentiâ accidit, ut inopinatò mi-
hi obviâm procedat! Heus puella, u-
binam eſt pater tuus?

GRIS. Domi illum eſſe arbitror,
clementiſſime princeps.

COM. Aliquis domum ipſam mo-
mitetur, & patrem ejus huc ad me
evocet. Credo equidem, ubi ei com-
memorâro, me filiam ipſius expetere
in uxorem: non rectè illum verba
mea accepturum, ſed ludibrio ſe à me
haberi, exiſtimaturum.

GRIS. Quid hoc rei eſſe credam,
mi Pater? Ipſe illuſtris Comes ad ædes
noſtras accedit. Proculdubio res ma-
gni erit momenti: cùm tam diligen-
ter de te ſciſcitetur.

CURS.

CURS. Heus, bone paterfamilias,
conventum te cupit illuſtris comes
noſter.

JANIC. Mirum profectò & mon-
ſtri ſimile eſt, Principem ſubdito ſuo
obviam ultro procedere! Plerunque
hoc ſignum eſt, aliquid à ſubdito peti-
tum iri. Ita ſuperiores altera quidem
manu panem oſtentant, ſed alterâ ge-
ſtant lapidem. Pro mea ſimplicitate,
vix credo temerarium eſſe, ubi dives
blandè appellat pauperem. Dum e-
nim dextram benignè porrigit: inte-
rim ſiniſtra, quodcunq; poteſt, rapit.
Hujuſmodi ego homines novi pluri-
mos, qui pauperum numulos inhiant
ut devorent. Niſi fortè ſomnium me-
um certæ ſit prædictionis & efficaciæ:
quod vix mihi videtur veriſimile.

COM. Salvere te, Senex, jubeo. Po-
téſne divinare cauſſam adventus mei
in ædes tuas?

JANIC. Et tu ſalve plurimum, Do-
mine clementiſſime. Per quietem ho-
diè mihi videre te viſus ſum, ad me
venientem, & mirificam quandam

peti-

petitionem exponentem. Sed ſomnia temeraria fallaci nocte ludunt, & certo eventu plerunq; carent. Quamvis nonnulli putent, matutina ſomnia veriora eſſe.

COM. Somnium tuum, mi Senex, narra mihi.

JANIC. Vereor equidem narrare, ne inſcitum recenſendo ſomnium, tibi & comitibus aulicis riſum debeam.

COM. Bonâ fide tibi dico: impunè recitabis mihi ſomnium tuum.

JANIC. Ut breve faciam, hæc in ſomnis mihi ſpecies oblata eſt: Te filiæ meæ nuptias expetiviſſe. Quod tum demum futurum credo, quando undis flamma, aut ver autumnò, æſtas brumæ miſcebitur. Eſt enim ante hoc tempus inauditum, puellam ruſticam viro principi nupſiſſe.

COM. Deus hoc ſomnio me admonet, ut illam ipſam virginem matrimonio mihi ſociem. Quid de me judicas, bone Senex? Anné meus, an alterius ſubditus eſſe malles?

JAN. Ego verò, clementiſſime Domine, nollem in alterius cujuſquam poteſtatem redigi. Sed ſub umbra tutelæ tuæ & vivere, & mori cupio.

COM. Ergo te virum optimum & verè mihi fidelem cenſeo. Nunc quoniam te intus & in cute novi: ne mireris, quòd (ut ſomnio tibi monſtratum eſt) filiam tuam uxorem ducere cupiam. Quod ſi meis poſtulatis annuis, benè eſt: ducam ego illam, nec veſtrarum facultatum tenuitas mihi pudori erit.

JAN. Malè facis, mi Domine, quod nuptias ſimulando, mihi ſervo tuo pauperi glaucoma ob oculos objicias, præter meritum meum. Scio enim, quòd me ludos facias, nec filia mea in amplexum tuum unquam ſit ventura.

COM. Non certè te ludo, Senex: ſed ex animi ſententia loquor, & ſine fraude tuam filiam mihi uxorem dari volo.

JAN. Sed audi, quid mecum tacitus cogitaverim. In mentem mihi venit, te eſſe potentem principem, me autem agricolam pauperrimum.

 Quam-

Quamobrem inter tam diſpares non poſſe firmari conjugium. Nam ſi filiam meam tibi elocem, perinde erit ac ſi bovi aſellus jungatur in æquali onere ferendo. Nam ego aſinus in luto jaceam, ubi onus nequeam ferre pariter. Tu me bos haud magis reſpicias, quàm ſi nunquam natus ſim. Et te utar iniquiore, & meus ordo me irrideat. Neutrubi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid divortii accidat. Aſini me mordicus ſcindant, boves incurſent cornibus. Hoc ergo magnum eſt periculum, aſinos cum bobus, id eſt, homines pauperes cum divitib. ac potentibus conjungi.

COM. Bona verba, quæſo. Non rectè mentem meam videris percipere. Nam tantò melior tua erit conditio, quantò propinquiùs te ad locupletiores adjunxeris.

JAN. At nihil eſt dotis, quod dem.

COM. Dum modò rectè morata, pia, verecunda, domus adminiſtrandæ gnara veniat, ſatis dotata eſt.

JAN. Eò hæc dico, Domine, ne me

opibus

opibus abundare, aut theſaurum alicubi defoſſum reperiſſe cēſeas: & propterea meam gratiam petitum eas.

COM. Scio omnia: neq; horum quicquam expeto, niſi ut ſocer mihi fias. Miro certè homines ſunt ingenio. Nam quando opulentus à pauperiore aliquid petit: pauper metuit congredi, per metum malè rem gerit, neq; ſana conſilia admittit. Idem, quando ejuſmodi occaſio periit, pòſt ſerò ſapit.

JAN. Conſentio in hunc contractum, ut tibi filiam deſpondeam, ſed ſine omni dote.

COM. Pudicitia Sponſæ, loco dotis mihi erit.

JAN. At ſcio, quàm perplexè interdum & captioſè vos potentes agere ſoleatis. Pactum non pactum eſt: Nō pactum pactum eſt, quod vobis lubet. Sed de te nihil ſiniſtri ſuſpicor. Tantùm rogo, ut mihi per te liceat matrē interrogare, an in haſce nuptias conſentiat? Semper enim tertiam virginitatis filiæ partem matri datam eſſe, confirmat.

COM. Omnino eam interroges licet.

JAN. Uxor egredere, mox egredere. Nam Dominus Comes noſter ante ædes hîc adſtat.

ACTUS II SCENA III.

RUSTICA, COMES, GRISOLDIS, GUBERNATOR, OECONOMA.

PRoh Dei fidem! Quid hoc novi eſt? quid Comitis noſtri adventus nunciat? Cariſſime Domine, gratulor adventum & tuum, & veſtrum omnium. Toto enim conjugii mei tempore non vidi exoptatiores hoſpites. Verùm res noſtras egenas, & nullum pro tantis hoſpitibus apparatum deprehendetis.

COM. Audi, ruſtica, quid ego te facere velim? Tuam filiam ut mihi des nuptum, cupio. Anné placet tibi hic gener?

RUST. Ah, filia mea longè eſt inferior & abjectior, quàm ut tanto nubat principi.

COM.

COM. Verùm, ô mater, quandoquidẽ mihi ejus forma ac mores placent: & ipſe hanc conjugem mihi exoptavi: ſpero, te voto meo non reluctaturam.

RUST. Ecquo jure ac titulo eam tibi negare poſſemus? Nam ego & maritus, & communes liberi, omneſq; reculæ noſtræ, in tua ſunt poteſtate. Tu nobis & poſſeſſionibus noſtris uti potes pro arbitrio: nec eſt, qui tibi contradicat. Quod tu vis, Domine, idem ego volo. Tuæ clementiæ & me, & puellam meam commendo: de cujus probitate ac morum honeſtate equidem verè teſtari poſſum. Ac ſæpe ejus operam in rebus œconomis prævideo me deſideraturam.

COM. Quocirca & ipſa prodeat, ut præſens præſenti mihi fidem det, ſe fidam mihi conjugem futuram.

RUSTI. Adſis Griſoldi, properè adſis. Nam præſentiam tuam illuſtris Comes noſter requirit.

GRIS. Adſum, matercula cariſſima. Quid me vis?

 COM.

COM. Ex ipſis oculis pudor ac probitas ejus eluceſcit non minus, quàm ſi illuſtri ſtemmate foret nata. Audi puella, quæ ſunt in rem tuam. Ego & parentes tui in idem placitum conſenſimus. Nunc tuum eſt nobis aſſentiri. Eſtné tibi animus fidem & obſequium mihi præſtandi, tuamq; voluntatem ad nutum & imperium meũ accommodandi? Ut nimirum tam in adverſis, quàm in ſecundis rebus nec verbo, nec facto aut geſtu, minùs te mihi morigeram præbeas. Quod ſi hoc te facturam promittis: eris mihi uxor, eris totius provinciæ domina: eris honore cumulatiſſima: eris præſidium ſummis & infimis. Ecquid vult ſibi rubor ille, in genis tuis obortus?

GRIS. Clementiſſime princeps, obſtupefacta cœlum intueor, nec ſatis hanc rem mirari poſſum. Non equidem tanto me honore dignor, ut conſors fiam thalami principis. Veruntamen ſi Deus opt. max. hac me proſperitate beare decrevit: maximas illi ago & habeo gratias. Quod ſi tua Clemen-

Clementia ſeriò id poſtulat: polliceor ſanè, me ſemper in poteſtate tua futuram: nutuſq; tuos pro ratione, juſſa pro legibus habituram: quod tibi diſplicere cognovero, illud ſedulò omiſſuram: Et quamvis periculum mortis adire mihi imperes, tamen non tergiverſaturam: voluntatiſq; tuæ tam obſervantem futuram, ut ne cogitatione quidem, aut ulla re minima te ſciens offendam. Hoc planè tibi de me perſuadebis, corpus & vitam, honorem & decus meum in manu tua futurum. Plura non habeo promittere.

COM. Nec ego plura poſtulo, ſed in hoc reſponſo tuo acquieſco. Arrham igitur amoris mei hunc annulũ accipe. Vos conſiliarii ac provinciales univerſi: videtiſné, ut vos mecum hodierno die, ſingulari Deus lætitia affecerit? En hanc uxorem meam, eandemq; principem veſtram! Hanc deinceps ſuſpicite: hanc colite iiſdem, quibus me, honoribus: hanc reveremini: huic obſecundate. Eam enim

præ omnibus hujus mundi fœminis tori mei conſortem elegi.

Guber. Quandoquidem divina providentia ita factum eſt, ut Tu ingenuum & honeſtum hujus virginis animum, ſub vili ac ſordida veſte latentem, pluris quàm alia omnia æſtimaveris: eoq; nomine hanc tibi uxorem, & univerſæ ditionis dominam elegeris: Deo ſanè immortales gratias agimus, qui pro immenſa miſericordia ſua eum nobis principem, eam dedit rerum dominam, de quibus tum nos, tum vicini noſtri gratulari nobis jure, atq; eorum incolumitate exultare, noſq; verè beatos prædicare poſſumus.

Com. Abite jam vos, & in Gynæceum hanc virginem adducite, ibiq; veſtibus, noſtro ordini convenientibus, exornate.

Gub. Tu œconoma, aſſume illam virginem, atq; eam veſtibus auro ſegmentatis & Phrygiis, quas illuſtris Comes ei parari curavit, indue.

Oeco. Omni cura ac ſtudio hoc efficiam, eamq; ita ornatam dabo, ut omnibus licet pulcerrimis fœminis palmam venuſtatis præripiat. Salvam te advenire gaudeo, Virgo lectiſſima, quæ thalami illuſtris Domini mei conſors deinceps es futura: id quod tibi nobiſq; omnibus benè vortat.

ACTUS II. SCENA IV.

TRIBUNUS MIL. PRÆFECTUS ARCI, & CONCIONATOR.

O Cœlum, ô terra! quid hoc monſtri eſt? Quis horum conſiliorum (ut Deus illum eradicet!) architectus fuit? An non in mundo ſunt fœminæ illuſtres ac generoſæ, ex quibus principes ſibi uxores legere poſſent? Quæ hæc dementia eſt, ſordidi agricolæ filiam in thalamum principis adductā eſſe? ô heri mei cæcitatem! ô perverſum judicum! Quod ſi ſibi hac in parte nolebat parcere: at univerſæ nobilitati maculam hanc non inuſſiſſet.

Præf. Vera memoras, tecumque ſentio:

ſentio: nimis vilem & abjectam eſſe hujus novæ nuptæ originem: quam vix equiſoni meo nuptum dare in animum inducerem. Quamvis enim ſcitula, & caſta fortaſſe ſit: tamen ad principis dignitatem nihil eſt.

TRIB. Profectò, vetus illud verbum eſt veriſſimum: Magni viri non poſſunt modicum errare. Neq; dubito, quin ipſe Comes dolorem tandem ob hoc factum ſit capturus. Nova enim iſta nupta aptior eſſet ad caulam, quàm ad aulam. Ruſtici quippe ruſticis ſunt moribus: at illuſtri quapiam ſtirpe ſata, hæc demum palatio principis digna eſſet. Videtur certè mens Comitis læſa fuiſſe, quòd ad tam agreſtem puellam amores ſuos tranſtulit.

PRÆF. Ego quidem majori prudentia in re tanta uſurum fuiſſe, ſperabam. Fortaſſis hoc quicquid eſt conſilii, à Cancellario & Concionatore ſuggeſtum eſt: qui duo ſuis ſententiis Comitem ducunt, quò volunt, & ſoli videri volunt Reipub. moderādæ peritiſſimi.

TRIB.

TRIB. Compeſce linguam, Præfecte. Nam eccum tibi Concionatorem ipſum: ex quo percontabimur, quidnam ipſi de hoc negotio videatur?

PRÆF. Quæſo nobis ediſſere, Reverende Domine, probéſne, an improbes inſtitutum illud Comitis noſtri, puellam de rure in aulam adducentis? quæ (niſi fallor) deſpecta erit in oculis provincialium.

CONCI. Conjugia ex Dei arbitrio ac diſpoſitione pendent. Ejusq; voluntas, nullâ humana ratione, nulliúſq; viribus impediri poteſt. Neq; tam diſpar conjugium adeò miremini. An non enim potentiſſimus Rex Aſuerus, Eſtheram puellam orbam, humilem, inopem, captivam & ſortis abjectiſſimæ, tamen ſolii ac thalami ſui participem fecit? Cauſſa talium rerum & conſilii ratio, nobis quidem occulta, Deo conſtat. Nec tam inſolitum eſt, inopes & ab omnibus derelictos ac ſpretos ad honorum culmen aſcendere. Deus evehit pauperes, ne

divites

dîvites animo nimium efferantur, quaſi ipſi ſoli Jovâ propitio utantur. Quapropter hoc factum non ſuggillo, quòd Deus eam fortunam puellæ ruſticæ adjungit, ut inclyti & generoſiſſimi Comitis conjux fiat. An non inſignis ejus forma, & virtus egregia, tanto faſtigio eſt digniſſima? Et benè conſideravit Comes noſter illud Solomonis oraculum: Mulier proba, viri corona eſt. Mulier proba, ſummum in ædibus ornamentum eſt. Sapienter itaq; Comes, cùm petitionis noſtræ rationem habiturus eſſet: non divitias, non ſplendorem attendit familiæ: ſed animi virtutem, ſed caſtitatis decus: ſed provinciæ ſuæ emolumentum. Cumq; malorum & miſeriarum non ſit ignara hæc nova principis uxor: eò etiam promptior erit ad ſuccurrendũ miſeris & calamitate preſſis. Atq; ita plus commodi afferet ſubditis, quàm ſi potentiſſimi alicujus Regis ſuperba & faſtidioſa filia eſſet.

TRIB. Ille ſibi hanc duxit ſuopte conſilio: ille hanc ſibi habeat ac ſer-

vet.

vet. Mihi nec ſeritur ibi, nec metitur. Abunde aliàs negotiorum eſt, quæ curem. Si illa ſe erga egentes munificam præbebit: in primis militum, qui ad fines dictionis pro ſalute communi contra hoſtes propugnant, rationem habebit: eam ego fœminã optimam prædicabo.

CONCI. Deus hunc animum illi immittet, cujus providentiæ rem totam committamus. Valete.

ACTUS II. SCENA V.

OECONOMA, GRISOLDIS, JANICULUS, PRÆFECTI UXOR, COMES, ARCHIMAGIRUS, PRÆCO.

PRocede huc mecum in aulam majorem, Domina. Tam ſplendido namq; amictu conſpicua, gratior eris inclyti Comitis oculis. Nam pulcræ veſtes magnum decus addunt honeſtæ fœminæ.

GRIS. Optimæ matronæ & virgines, cùm Deo viſum ſit me tali veſtitu decorare: age ſino. Aliàs tunicam il-

lam

lam veterem meam non aſpernarer: quæ me identidem admoneret originis meæ, & vitæ ab ultimâ pueritiæ memoriâ ruri transactæ.

Oecon. His ruſticis veſtibus non amplius tibi opus eſt, quæ etiam parùm decóris tibi conciliabunt. Quamobrem illas intus in angulo ſepoſitas relinque.

Janic. Proh Dei & hominum fidem! quis me vivit hodiè fortunatior? Vix te agnovi, filia. Proh, quantum mutata jam es ab illa Griſoldi, quæ domi meæ fuiſti. Jam ſericis & acu pictis veſtibus decorata incedis, quas equidem meo ære non potuiſſem tibi comparare. Sed ubi eſt prior illa tua, quâ ruri uſa es, tunica?

Gris. Aſſervabo illam, mi pater, in memoriam priſtinæ paupertatis meæ: vel ſi tute eam expetis, te illâ donabo.

Janic. Rectè: domum illam portabo: fortaſſis aliquando uſu veniat, ut planè opportuna ſit futura.

Præf. ux. Téne, ô Domina, Janiculi ſenis filiam eſſe? Certè multum hæc Griſoldis ab illa, quam ſuperioribus diebus vidimus, diſtat. Adeoq; ſplendet tua pulcritudo, ut ipſa Diana cedere tibi videatur.

Gris. Peto à vobis, nobiliſſimæ fœminæ, ut me inſtruatis de iis, quæ adhuc ignoro: meaq; dicta & facta in bonam partem accipiatis. Ego quidem ſciens ac prudens nihil intermittam, quod rectum eſſe novero: ſeduloque in id enitar, ut ſuum cuiq; tribuatur.

Præf. ux. Libenter ac meritò, Domina, tibi nos accommodabimus, animoq; promptiſſimo ſerviemus, quamdiu vita ſuppetet. Sed ecce, illuſtris noſter Comes ádvenit: ad cujus dicta aures arrige.

Com. Unde hæc tam bella virgo proceſſit? Non equidem illam novi: quamvis putem, aliquando eam mihi conſpectam eſſe. Non poſſum tamen aſſeverare.

Gris. Jocos ac facetias tuas, inclyte conjux, æquo & hilari animo accipio.

Com.

Com. Bono es animo, Griſoldis. Accepiſti annulum, fidei conjugalis arrham. Deus auxilio ſuo nobis adſit, ut conjugium noſtrum ſit ſecundum, jucundum & fœcundum.

Archim. Omnia Domine parata ſunt, quæ ad pompam convivii nuptialis pertinent. Quare ſi placet, unà cũ lectiſſima Sponſa & univerſo Gynæceo in aulam venias, & nuptiarum ſolennitatem hilari peragas animo.

Tibi Præco, Domini noſtri voluntas per ſpecta eſt, quâ toti populo indicari juſſit: cuivis liberum eſſe ad arcis veſtibulum accedere, & poculum vini exhauriendum petere. Hoc ergo denuncia ex æquo pauperibus & locupletibus, infimis ac ſummis. Mihi enim domum properandum eſt.

Præc. Princeps noſter omnibus ſubditis ſuis, divitibus ac pauperibus, ſummis & infimis, ſenibus & adoleſcentibus, hoc per me vult indicari: Quicunq; ad arcis veſtibulum hodiè advenerit, eum calice vini pleno refectum iri. In arena enim arcis duo ſunt

ſunt extructi fonticuli, unde album & rubrum promanat vinum, gratis cuilibet propinandum. Quod eum in finem illuſtris comes ordinavit, ut omnium provincialium in hac nuptiali pompa communis ſit lætitia & gratulatio. Quod volebam ne eſſetis neſcii.

ACTUS II. SCENA VI.

RUSCIO & LAPUS, Moriones.

SIccíne ergo agit comes, ut uxorem propediem domum ducat? Quod ſi ſubolfeciſſem: & mihi amicam diſpexiſſem, ut eodẽ die cum illo pompam nuptiarum celebrarem. Cùm enim provinciales adeò hæredem principatus expetant: facilè conjicio, principes pueros & fatuos pueros, quos in deliciis illi habeant, omnino conjungendos eſſe.

Lap. Quid tu verbis morare hîc extra palatium? An non animus tibi eſt in patinis?

Rusc. Non diſcumbent priùs, D quàm

quàm ego advenero. Ac licet cibus in menſam jam apportetur, tamen demenſum meum mihi, vel ſerò venienti, reſervabitur.

Lap. At Sponſus præſentiam tuam expetit.

Rusc. Quid illum me hodiè curatio eſt? Curet ille ſuos hoſpites: ego mihi rectè proſpexero ipſe. Sin præſentiâ meâ eget: licet aulâ exeat, & me ipſe ad ſe accerſat. Tum facilè inter nos tranſigemus

Lap. Ferocem te facis, ut intelligo.

Rusc. Quidni? indignor enim Comiti, quòd ille ancillam ruſticam matrimonio ſibi copulet. Ego vitam potiùs perderem, quàm tam vilis conditionis puellam mihi conjungerem. Nec dubito, quin potentis alicuj⁹ Regis filiam ſim nacturus, quæ maximum imperium dotis loco ad me afferat. Sanè hujus ruſticæ bona materna facilè unâ volâ portare poſſem. Nan quid tum, ſi ſcitula ea eſt ac venuſtula?

Lap. Nec profectò adeò formoſa eſt, ut matri meæ non ſit longè poſtponenda, quæ omnium hujus provinciæ fœminarum longè erat pulcerrima: adeò ut nullo balneo aut lavacro indigeret. Quia naturâ erat formoſiſſima ac nitida facie: cûm quidem alia pithecia identidem ſe lavent, purgent, comant. Quod ſi naturâ formoſæ eſſent, non tanto artificio ſuam formam excolerent. Sed nugarum ſatis eſt: nunc in aulam abeo, ut menſæ reliquiis fruar.

ACTUS II. SCENA VII.

EQUISO.

IAm peractum eſt epulum illud nuptiale, in quo ædepol & ego me curavi molliter, & pauló plus adbibi. Nam copia eſculentorum & poculentorum aderat. Aderant varii generis piſces, aves, gallinæ, capones, perdices, attagenes: apponebantur carnes aprugnę, cervinę, leporinæ. Quid memorē vina Italica, Gallica, Hiſpanica, cretica, tum vetera, tum nova? Adeò planè nihil deſiderabatur, ut copiæ

quoddam cornu his donatum nuptiis arbitrere. Quin & pauperibus quaſi vini fontes ac latices manabant, unde & illi curas ſolverent, & hujus ſolennitatis ac hilaritatis communis memoriam nunquam deponerent. Celebrabantur equeſtria certamina & haſtiludia: veſperi etiam choreæ admodum decoræ ducebantur, conductis in unum venuſtiſſimis virginibus. Ubi non potui non mirari Socerum ruſticum, qui inter principes ac nobiles viros aliquando reſtim ductans, ſaltabat cum noſtri Comitis ſorore. Vah ridiculum ſpectaculum! Ipſe quidem ſibi blandiebatur, quòd tanto in honore haberetur. Sed aulici nimiam ejus ſimplicitatem & extremã ruſticitatem deridebant. Nec civiliores erant cæteri agricolæ, affines ejus quibus & ipſis locus inter ſaltantes cõcedebatur, licet hujus artificii ignariſſimis.

ACTUS

ACTUS II. SCENA VIII.

FRIDERICUS, LUCAS, PAULUS, Conſiliarii. COMES: ÆMILIA virgo.

QUàm beavit nos Deus, dum nobis dedit ejusmodi matronam principem, quæ tanto faſtigio ſit digniſſima! Nam ornamentum eſt non principis ſolùm, ſed etiam totius provinciæ. Quomodo tantam virtutem ac prudentiam ſub ſordido veſtitu latentem, perſpicere potuit inclytus noſter princeps? Profectò, quod generi ipſi⁹ natura negavit, hoc & ingenii & corporis donis largiſſimè rependit.

LUC. Non poſſum non factum illud Comitis approbare: ex quo perſpicio, quàm ſagax ille ſit ingeniorum cenſor, & quàm oculatus in ſingulorum ſubditorum animis explorandis: ut deinde ſtatuere poſſit, ad quod quisq; munus utiliter adhiberi poſſit.

COM. Fideles dilecti mei, quomodo vobis probatur nova nupta mea?

& quomodo placet cæteris provincialibus? quid rumor popularis de illa ſpargit? acquieſcúntne cives in moribus illius?

PAUL. Omnino acquieſcunt, princeps inclyte. Omnibus enim virtutibus, quæ in hunc ſexum cadunt, decorata eſt: non adverſus quenquam ſeſe effert: eſt mitis, manſueta, benefica, & ad opem miſeris ferendam promta. Tantóq; magis acquieſcunt provinciales, quia jam palàm factum eſt, eam uterum ferre: unde brevi harum regionum hæredem naſciturum ſperamus. Nec generoſior indoles vel in ſummo loco natâ fœminâ reperiri potuiſſet.

COM. Et ego mihi eo nomine gratulor: Deus porrò omnia ſecundet. Neq; jam me contracti matrimonii pœnitet, ex quo ſobolem brevi ſperare poſſum. Nam ut triſtis ſine Sole dies, ſine ſidere nox eſt: Sic ſine prole torus, ſic eſt ſine conjuge lectus.

ÆMIL. Euangelia poſco, inclyte princeps. Nam illuſtris conjux tua bellâ editâ filiolâ te parentem fecit.

COM. Deo opt. max. laudes gratesq; ago pro hoc munere. Vos dilecti mei fideles agite, & templum ad Baptiſmi ſolennitatem inſtrui, omniq; ex parte ornari curate. Efficite etiam, ut in palatii cænaculo convivium luſtricum generoſis ac nobilibus matronis, quæ ad Baptiſmum congregabuntur, apparetur. Equidem mihi videor omnium mortalium fortunatiſſimus, qui conjugem habeam virtute adeò præſtantem, ut quicunq; meum imperium agnoſcunt, eam admirentur ac ſuſpiciant: addo etiam, cujus jam fœcunditas ſit ſpectata. Sed fortaſſe adhuc aliquid requiro. Scire enim pervelim, an ſi arduum quid ac difficile ſim à conjuge petiturus, illa hîc quoq; voluntatem ſuam ad meam ſit accommodatura? Age, periculum faciam, & conjugis in obſecundando alacritatem tentabo.

 ACTUS

ACTVS III. SCENA I.

JACOBELLUS & JANICULUS.

VNde te proripis, Janicule? ecquid novi habes, quod nuncies?

JAN. Nihil equidem, mi agnate, niſi quòd valdè aveo tecum ſermones cædere, & per otium de variis rebus confabulari. Quid eſt, quòd tam raro nos inviſas? An te aliqua in re offendi, ut propterea conſpectum tuum nobis neges?

JAC. Illud dudum cogitavi mecum, jam me tibi deſpectum eſſe, qui tam honoratâ gaudeas affinitate, ut etiam Principis ſocer appelléris.

JAN. Ne me aliter ac ſum, in animum inducas tuum. Quin idem tibi ſum, & fui, & ero ſemper. Ac tuis commodis quacunq; ratione poſſum, pro virili conſulam. Scis, nos quaſi mancipia principum eſſe: Quicquid illi jubent ac decernunt, in eo morem nos geramus neceſſe eſt. Cùm ergo inclytus Comes noſter filiam meam in uxorem peteret: an meum fuit refragari?

JAN. Minimè. Sed audi, quid in mentem mihi venerit. Pace tua liberè dicam: tu ſilentio dicta mea obſigna. Snmmoperè fui miratus, quòd Comes noſter conditionem noſtram humilem non ſpreverit, ſed filiam tuam uxorem duxerit, elegantem quidem pudicam & morigeram, & quam, utpote virtute prçditam, omnia decent. Et deprehendo ſanè, mores ejus à neminè non probari. Sed metuo, ut hæc fortuna ſit perpetua. Noſti enim mores hujus provinciæ nobilium: non æquo animo ferunt, humiles in altum aſcendere. Quod ſi quid humanitus contingat Comiti, quod omen Deus avertat: tua filia per Nobilitatem & magnates palatio exturbabitur, & ad caſam tuam ignominioſè remittetur. Sed eſto: diu ſuperſtes ſit Comes. Tamen cùm ſatietas uxoris illum ceperit, & alterius mulierculæ amore in-

inar-

inarſerit: facilè ab ſe Griſoldim ſegregabit ac repudiabit. Quanquam haud metuam, ne tam aſperè cum illa agat, quæ ipſius animo egregiè chara eſt, & cujus mores unicè ſibi placere, oſtendit.

JAN. Et iſta dudum mecum cogitavi, ſæpeq; animum meum ſollicitudo ejusmodi ſubiit. Sed jam metuere deſino, ex quo biennium concorditer & jucundè cum illa vixit Comes: ac filiam etiam, quæ hodieq; incolumis eſt, ex illa ſuſcepit. Hanc communem ſobolem, quaſi vinculum quoddam novum, ipſorum animos arctiꝰ copulaturam, mihi perſuadeo. Ac haud ſcio, an non plures ex ipſa liberos Comes, ego nepotes ſperare poſſim? Equidem opto, ut Deus porrò conjugium illorum ſoſpitet ac felicitet. Tu mi agnate, hac mecum nocte poteris requieſcere: caſtaneas tibi nuces, & mitia poma, & caſeum apponam cum pane, noſq; meraciore vino exhilarabimus.

JAC. I præ: ego te ſubſequar.

ACTUS

ACTUS III. SCENA II.

COMES, PROMTULUS, GRISOLDIS, JOHANNA.

AUdi Promtule, ac mentem adverte. Ego fidem & taciturnitatem ſemper in te intellexi ſitam eſſe: quam ſi deinceps mihi probaturus es, age da fidem, & dextram porrige. Stipularíſne, te nemini mortalium hanc rem eliminaturum, quam tibi nunc injungam?

PROM. Stipulor Domine, quicquid ſalva religione & conſcientia poſſum facere. Rerum verborumq; maximam fidem in me deprehendes, nec fallacem unquam reperies.

COM. Quoniam ergo præ cæteris te mihi fidum eſſe cenſeo: attende, quid ego exputaverim. Uxorem pauperculam & humilem mihi ductam eſſe, noſti: quæ tamen vitâ, oculisq; ſuis me amat impenſiùs. Hujus ego fidem & in rebus adverſis conſtantiam periclitari decrevi: Sitne eâdem animi æquitate uſura in lætis ac triſtibus? ut qui-

ut quidem præ ſe tulit ac pollicita eſt. Rem ergo inſolitam ac miram aggrediar: ut paulò pòſt audies.

GRISOLD. *infantem faſciis involutum ulnis geſtans.*

Quas animo concipere poſſum, æterne Deus, tibi gratias ago maximas, quòd tam mirabili modo ex infima conditione ad tantos honores me evexeris, ut vel principis connubio me dignatus fueris: tantaq; auxeris felicitate, ut etiam filiam ſcitulam parerem. Agnoſco, me tibi multis nominibus obnoxiam eſſe. Te igitur celebrabo ſemper ac reverebor: & ſecundum te illuſtri conjugi & Domino meo in omnibus obtemperabo, & dum ſpiritu fruar, illum colam & in oculis feram.

COM. Vos puellæ parumper abite. Nam eſt, de quo cum conjuge mea ſecretò colloquar. ô Griſoldi lux mea, ſanè vehementer perturbor, quòd animum tuum jam, poſt tot annos tam ſuaviter & placidè tranſactos, nonnihil cogor offendere. Ego

quidem

quidem ut te ſemel uxorem mihi delegi, ita etiamnum te ardentiſſimè amo, præſertim cùm omnibus in rebus morem mihi geras. Sed quia ruſticis (ut noſti) parentibus genita es; hoc tam malè habet proceres meos, ut etiam filiam tuam recens natam è medio tolli cupiant. Nolunt enim me mortuo, ruſticam loco principis ſibi imperare. Si itaq; placatis illis uti velim: neceſſe eſt infantem tuum exponam, aut occidi curem. Quanquam animus vel meminiſſe horret, & factum refugit; aggrediendum tamen eſt: idq; te volente & conſentiente fieri velim. Meminiſti enim te initio conjugii noſtri promittere, nunquam te voluntati meæ reluctaturam: ſed quicquid juſſero, æquo & promto animo exſecuturam.

GRIS. Abſit, illuſtris & clementiſſime Domine, ut ego unquam tibi reluctér, & quod tibi placere intelligo, intermittam. Tua ſum ego, tua eſt hæc filiola: licet tibi uti nobis pro arbitrio, ac jure tuo. Non eſt, quod mi-

hi par-

hi parcas hac in parte: tota enim ex te pendeo; tota ad voluntatem tuam conformare me laboro. Nil mihi retinere cupio, nil amittere vereor, præter te unum: quo ſi fruar incolumi, ſalva ſum: quo amiſſo, vitam mihi acerbam ac minimè vitalem putabo. Tu enim mihi in medullis hæres infixus: te fide & amore conſtanti pectoris mei penetralibus incluſi. Te præter in his terris nihil mihi gratum, nihil jucundum eſt. Ad ſummam ſic habeto: dum anima ſpirabo mea, voluntatem ac judicium meum tuæ ſententiæ ſubſcripturum, ſeq; ſubmiſſurum eſſe.

Comes datâ conjugi dextrâ mæſtus abit.

JOHAN. Ecquid eſt, Hera, quòd tam triſtis ex atrio diſceſſit illuſtris Comes?

GRIS. Inopinatus aliquis evenit caſus, quem Deus mitiget, & ad finem lætiorem perducat.

Parùm hæ ſecedunt.

COM. Illud eſt, quod te antea volebam,

lebam, Promtule. Accede ad conjugem meam, & filiolam ab ea repete: nihili æſtimans ejus gemitus & lacrimas. Sed infantem auferens, præ te fer, illum à te occidendum. Mox verò ad me redi, ut porrò oſtendam, quid facto ſit opus?

PROM. Meum eſt pedibus manibusq; conari, ut quod jubes, effectum reddam.

Stricto gladio Heram alloquitur.

Ignoſce mihi, Domina, quòd juſſum Comitis noſtri, licet invitus exſequar. Niſi enim vitâ ipſe ſpoliari malim: neceſſe eſt ut recens natam filiolam tuam meis occidam manibus. Deum teſtor, animum manusq; meas ab illa cæde abhorrere. Sed quia ab Hero meo ad ſerviendum & imperata faciendum conductus ſum: non poſſum quin hoc facinus ſuſcipiam, cujus veniam humiliter à te peto.

GRISOL. *inſpectatam filiolam oſculatur, & crucis ſigno munit.*

Accipe ergo inſontem animulam, ſiquidem Dominus meus ita præcipit: &

& quæ juſſus es, perage. Te tamen per Superos oro, ut tenellum ipſius corpus humo tegi patiaris, ne à feris ſilveſtribus & rapacibus volucribus devoretur.

Identidem ad infantem reſpectat.

ACTUS ET SCENA III.

ÆMILIA, JOHANNA, GRISOLDIS, COMES, PROMTULUS.

DIc verò quæſo, Hera, quónam ille ſobolem tuam aſportabit? ánne in deſerta ſilva eam obtruncabit? quod equidem truces ipſius oculi minari videbantur. Proh Dei fidem! Satisne ſanus eſt princeps noſter, qui ita ſæviat in ſanguinem inſontem.

GRIS. Quæcunq; Dominus meus facit aut præcipit, de iis an rectè facta ſint, dubitare nefas puto.

JOHAN. Certè ſi ego tuo loco fuiſſem, non commiſiſſem illi homini infantem, cui ſe vitam erepturum minatur. In intimo potiùs ædium angulo occultaſſem, nec quiſquam me ſuis minaciis

minaciis

minaciis terrere, aut eò adigere potuiſſet, ut infantis ſalutem proderem. Ac principis ſanè gratiâ potiùs excidiſſem, quàm filiam ad necem tradidiſſem.

GRIS. Ego verò aliter ſentio: ac pluris facio dominum ac maritum meum, quàm meam meorumq; ſalutem. Ac ſive triſtia, ſive jucunda ille imperet: Sive ardua, ſive proclivia à me poſtulet: certum eſt in omnibus ei obſequi, & quidem alacri animo. Nunc ergo ad cariſſimum Dominum noſtrum eamus intrò. Vos præite: ego paulatim vos ſubſequar.

Hæc ſola ſecum:

Vetus verbum eſt: amorem felle eſſe fœcundiſſimũ, & amara ad ſatietatem uſq; oggerere, ſive initio ſtatim conjugii, ſive poſt aliquod intervallum. Id ego de me nunc experior, ne foris exemplum quæram: quæ primum fœtum ab amplexu meo avelli miſera aſpicio. O dolor & luctus? quem in ſolius Dei ſinum, gemendo & lacrimando effundere poſſum. Ille

animi

animi robore & conſtantiâ, in hac domeſtica calamitate me armet: ille faciat, ut flebilem hanc conditionem meam fortuna lætior ſequatur.

COM. Promtulum ſervum meum hîc opperior, quem filiolam ab uxore juſſi auferre. Sed ipſum ad me accedere video. Quid eſt, Promtule? abſtuliſtine infantem? Qui geſtus, quæ verba tum erant uxoris meæ?

PROM. Miror Domine conſtantiam conjugis tuæ, quæ vix ullum mæſti animi ſignum dedit. Adeò vicit ac obfirmavit animum ſuum: quod vel in Heroë aliquo mirareris, nedum in fœmina.

COM. Curam ergo filiolæ hujus habeto, ac Bononiam abiens, eam commendato ſorori meæ, Banochii Comitis uxori: eandem meo nomine rogato, ut ipſa matris vices interim ſuppleat. Meoq; juſſu hæc omnia fieri dicito: & ut ſummo ſilentio rem tegat, jubeto, donec aliud per me edocta fuerit.

PROM. Diligenter infantem curabo, & negotium profundiſſimo tegam ſilentio, ne quisquam quicquam de eo reſciſcat.

ACTVS III. SCENA IIII.

CRISPINUS & NICOLAUS.

QUò tandem hæc res proceſſura eſt? Ecquid conſilii Comes agitat, quòd quam antè lucem ac deſiderium vocabat ſuum, tantoperè nunc contriſtat, tantasq; in anguſtias redigit? Cujus rei ignominia ad omnes provinciales redundat. Sed quid provinciales dico? Deus ipſe hac injuria ad iram, & pœnas toti territorio immittendas provocatur. Non equidem ſatis animo exputare poſſum, quam ob cauſſam hoc facinus ſuſceperit? Non enim bono ac laudi ſibi id fore, ſperare poteſt. Ergóne cæci ac muti ſunt conſiliarii, qui factum illud aut non perſpiciant, aut non reprehendant, atq; vel invito comite, impediant & avertant? Antehac omnibus virtutib⁹ inſtructiſſimus, omni laude cumu-

cumulatiſſimus audiebat Comes noſter. Nunc alia omnia experimur. Credo equidem illum tanquam Circeo aliquo poculo penitus immutatum eſſe. Quid tu, vicine, rumoris ſpargi audis de noſtro Comite?

NIC. Quem Dii omnes ſuperi & inferi malis exemplis perdant! Nam quid tandem plebs non audebit, ſi tali exemplo Magnates prælucent? Mentem illi à malo quodam genio faſcinatam eſſe credo, qui nec uxoris, nec ſobolis ſuæ rationem habeat. Jam tandem pateſcit, quo fine & ſcopo uxorem duxerit? ut ſcilicet haberet, quam pro arbitrio ſuo ignominioſè tractaret, & tanquam pedibus proculcaret. Me quidem cœli convexa tædet intueri, cùm omnia ita in pejus ruere video.

ACTUS III. SCENA V.

CANCELLARIUS, COMES, ÆMILIA.

NEminem mortalium ſine vitiis naſci ajunt. Quod ex parte mea

etiam

etiam verum eſſe ſentio. Quamvis autem nævis quibusdam me obnoxium eſſe fatear: Comes tamen noſter multò majoribus jam urgeri videtur. Nulli enim amplius fidem habet, ſed propriæ tantùm prudentiæ innititur: quaſi, ut in fabulis Tireſias, ille ſaperet ſolus, reliqui autem umbrarum inſtar errarent. Quid enim? an non reprehenſionem hoc meretur, quòd filiolam ſuam, vix in auras editam, neſcio quò aſportari juſſerit? Jam fama volat, inclytam Dominam noſtram rurſus uterum gerere. Quod ſi prolem enitatur incolumem, quis ſcit, an non ea eodem fato tollatur? Sed omen Deus avertat, ac prohibeat, ne Comes iteratò ad hunc ſævitię & ἀστοργίας lapidem impingat. Quanquam non planè ex rerum natura ſublatam priorem ſobolem, confido. Planè enim Comes humanitatis ſenſum exuiſſet, ſi infantulam, quæ vix lucem aſpexit, morti tradidiſſet. Hoc enim penitus repugnat prioribus illius moribus, qui fuerunt placidi, & mites er-

ga

ga omnes. Sed principes viri in magno plerumq́; metu verſantur. Ideò conſilia ſua maximoperè occultant, & quaſi velo quodam tegunt. Jam mihi rurſum cauſſa gravis oblata eſt, quam ad exitum perductam vellem. Ejusq́ expediendæ gratiâ nunc adibo Comitem.

COM. Cancellarium meum cum mediocri literarum faſciculo accedere ad me, & valdè cogitabundum incedere video. Salve Cancellarie: ſalvæne res?

CANC. Mediocriter. Atq; hoc ipſo temporis momento in arcem volebam tendere, ut de componendo heſterno negotio ſententiam tuam exquirerem.

ÆMIL. Quod felix & fauſtum ſit, illuſtris Domine: conjux tua filium in lucem edidit. Quo nomine euangelia me à tuâ laturam ſpero clementiâ.

COM. Accipe ergo hos numos aureos, & gratulare meis verbis conjugi de nato filiolo. Et tu Cancellarie, ali-

is jam

is jam ſepoſitis negotiis, omnia adorna, ut pompa Baptiſmi quamprimùm celebretur: & peractis ſacris, cœna inſtruatur opipara. Quæ res Archimagiro ut in primis curæ ſit, effice.

CANC. Filius ille, qui ex te natus eſt, ut ſit ſuperſtes, & ad ingentes evehatur virtutes, opto. Ac ubi te fata ſenem, æviq́; maturum ex his terris evocaverint: eum tibi ſucceſſorem in imperio, nobis principem clementiſſimum fore, auguror.

ACTUS III. SCENA VI.

JANICULUS & JACOBELLUS.

SAlvus ſis, agnate. An homines inferioris ordinis non amplius agnoſcis? Cur non aliquando domi meæ diverteris? Nullum equidem te gratiorem hoſpitem foci, penatesq́; mei viderent.

JAC. Neſcio certè, quî hoc fiat? Fortaſsis quia rariùs huc me pedes ferunt. Sed quæſo, ediſſere mihi, quid fit Griſoldi tua? ut valet? anne tuam indi-

indigentiam copiis ſuis quandoque ſublevat?

JAN. Non me deſtituit, ſed quod ſatis eſt, ſuggerit. Ac omnium mentes per totam provinciam gaudia occuparunt, quòd maſculum hæredem Comiti pepererit mea filia.

JAC. Hic mihi nuncius eſt perquàm jucundus. Nec dubito, quin propter hanc ſobolem multò ardentius illam ſit complexurus Comes: imò etiam provinciales magis ipſam veneraturi. Ac niſi me animus fallit, nunquam ille amplius adeò durus & immitis erit, ut liberos procul à ſe ableget, ac necandos tradat. Nec ſimilem uſpiam hujus uxorem reperiret, quæ tanto illum obſervaret ſtudio & obſequio, aut omnia ejus facta tam benignè approbaret.

JAN. Concede huc ad ædes meas: ubi ſi pernoctaveris, excipiam te pro ea copia, quæ mihi ſuppetit.

JAC. Alio tempore id commodiùs fiet: non jam eſt otium mihi, ſed negotium quoddam domum me vocat.

cat. Quare pace tuâ liceat mihi ad meos redire.

JAN. Ergo bene ambula.

ACTVS IIII SCENA I.

COMES, CURSOR, GRISOLDIS, PROMTULUS.

SEmel jam periculum feci obædientiæ ac fidei uxoris meæ, dum filiolam ejus tantum non ab uberibus ejus rapui. Nunc idem tentabo in repoſcendo filiolo nuper nato: Neq; propterea orituram totius provinciæ indignationem, neq; vulgi, qui ſpargentur, ſermunculos tantilli æſtimo. In libera civitate liberas linguas eſſe oportet. Ac quin multa de me dicant ſubditi, non mihi in manu eſt: ſed meritò ut ne dicant, id eſt. Nunc itaq; adventum uxoris opperior, ejus conſtantiam denuo probaturus: Sitnè ſui ſemper futura ſimilis, & mihi quibusvis in rebus obtemperatúra?

CURS. Mentem tuam, Domine, aperui conjugi optimæ : quæ è veſtigio ſe ajebat ſecuturam. Ludebat enim cum principe puero, cui dulciſſima figebat oſcula.

GRIS. Adſum, mea voluptas, juſſu tuo evocata. Tuam namq; voluntatem mihi exſequi placet. Ac ſummum hoc bonæ fœminæ decus eſſe arbitror, ſi viri nutibus ſe accommodet.

COM. Audiviſti olim, Griſoldi, quàm indignè ferant proceres mei, quòd te mihi uxorem conſociaverim. Et nunc magis fremunt & quiritantur, poſtquam maſculam peperiſti ſobolem. Vah! ſortem (inquiunt) indignam! Anne Griſoldis ruſticæ filius, anne aratoris Janiculi nepòs, toti nobilitati & tam latè patenti provinciæ quondam dominabitur? Apage hunc fœtum ruſticum, nobis omnibus dedecori futurum! Hæc & ſimilia non ſine murmure effundunt. Ut ergo his maledictis occurratur, & meæ famæ integritati conſulatur: neceſſitas mihi imponitur cum hoc filiolo eodem modo agendi, quo ante quadriennium egi cum ejus ſororcula. Propediem enim aderit miniſter meus, qui filium infantem abs te ſibi dedi poſtulet. Ne igitur hæc cura tantoperè te coqueret & ſub pectore fixa verſaret: ipſe tibi denunciare volui ea, quę ſunt ſecutura. Nam ut animum inſigniter percellit, quod inexſpectatum accidit: ita quod meditando quaſi familiare factum fuerit, minùs hominem perturbat, minùs de ſtatu dejicit. Ne autem dubites, quin ex me ortum ſit, quicquid miniſter meus faciet: annulum hunc ſignatorium tibi offeret, quando puerum auferet.

GRIS. Et dixi, & adhuc dico, me corde, animo ac viribus perſecuturam, quæcunq; tibi grata eſſe intellexero. Quicquid ergo fert impetus, poſtula. Nam quod petis, omne feres. Equidem facilè mecum ratiocinari poſſum, non hos liberos mihi proprios eſſe : niſi fortaſſe educandi laborem mihi proprium eſſe dicam. Tu domi-

dominus es & meus, & liberorum meorum. Utere nobis pro arbitrio tuo, veluti mancipiis. Quocunq; modo nobis utaris, non te culpamus, non tibi obnitimur. Ego quando veterem tunicam meam depoſui, ſimul & jus propriç voluntatis depoſui. Et quamprimùm novas veſtes, tuâ mihi munificentiâ paratas, indui: eodem momento ſtudium parendi voluntati tuæ unà indui. Tuum arbitrium atq; imperium, meum eſt arbitrium. Ac nè in rogum quidem inſilire, aut alterius cujuscunq; generis mortem oppetere, à te juſſa renuerem. Nihil enim quantumvis acerbum & durum, me prohibebit, quo minùs te amem, quo minus tibi conſtantiſſimè obediam.

COM. Abire ergo tibi licet, poſtquam ſententiam intellexiſti meam.

Quod ſi etiam hunc caſum fortiter ſuſtines, nec dolori ſuccumbis: virilem ſanè animum in muliebri geris corpore.

Tu autem Promtule, ſicut ea fide, qua par eſt, antehac mandatum meum exſecutus es, cùm te in loca peregrina ablegarem, filiæ meæ iſtuc deportandæ cauſa: cùm quidem omnes putarent, necem meo juſſu ipſi allatam eſſe: ita nunc quoq; ad Griſoldim te confer, filiolum ejus poſce, & illum abs te occiſum iri ſimula: néve ejulatu & lacrimis ejus flectere: nec ſecreta mea ipſi revela, niſi graviſſimam indignationem meam velis incurrere.

PROM. Cautè agam & ex fide.

Quamvis miſeret me Herę meæ, principis optimæ. Et non poſſum ſatis aſſequi, quid moveat principem, ut ſit tam durus in conjugem, ejusq; fidem tam arduis probet experimentis? Næ, ille maledicta & diras omnium popularium ſuis cervicibus attrahet. Ego verò, licet animo vehementer doleam, tamen ſeveriſſimò illi mandato obſequi cogor.

Liceat mihi apud te Domina, pauca mei excuſandi gratia dicere. Satis ſuperq; confido tibi perſpectum, me

ſervum

ſervum principis, ad expedienda ejus mandata obſtrictum, nec mihi integrum eſſe, ab ejus imperiis vel latum unguem recedere. Nunc itaq; rurſum me princeps ad te mittit, repetitum filium tuum, quem eodem modo tractem, quo olim filiam tuam. Sed ſupplex peto, ne mihi propterea ſuccenſeas. Ego enim tota mente perturbor, quòd hæc tibi jubear nunciare. Verùm ne locus tibi ſit ambigendi relictus, annulum ſignatorium mittit tibi princeps, ut ſcias, me haud ſecus ac juſſum facere.

Gris. Cape ergo, & ſicut injunctum tibi eſt, infante hoc utere. Sed niſi ea res voluntati Domini tui repugnet: majorem in modum te rogo, ne permittas, teneros infantis & quidem inſontis artus inſepultos, à beſtiis & volucribus dilaniari.

Hæc ſola ſecum loquitur.

ô Deus immortalis! hæc demum fodicant animum, hæc mentis dolorem quaſi repetito ictu augent. Vix cicatrix obducta eſt priori dolori meo. Ecce autem de integro nova ſurgit luctus materia. ô rarum & inſolentem infelicis hujus annuli uſum! Nam añulus alioquin amoris ſignum, & fidei conjugalis pignus eſt. At tu principis annule, quantum luctum, quantam triſtitiam mihi adfers! Pediſſequas ſanè meas propterea jam dimiſi, ne miſeriarum mearum ſpectatrices eſſent. Tu benigne Deus, tu miſericors opitulator, tu pectoribus meis robur inſpira: tu vires ſuggere, ut tantam ęrumnam, quam nullâ meâ culpâ ſum promerita, æquo animo ſuſtineam ac ſuperem.

Jam abit illa.

Prom. Ecce tibi hunc alterum quoq; infantem.

Com. Ecquis erat vultus conjugis, qui geſtus, quæ verba, cùm illum tibi traderet?

Prom. Heroina eſt tua conjux, & monſtrum ſine vitio. Nec ſimilem illius vel totus hic orbis aut peperit unquam, aut pariet. Quippe ſincerâ fide & amore tui minimè fucato excellit: atq;

atq; in eâ cum comitate & manſuetudine certat prudentia: ſatisq; eam periclitatus jam eſſe videris. Cape (inquit) inſontem animulam, & exſequere Domini tui imperia. Nam ſi etiam mortem obire mihi ille præciperet: alacri animo eam oppeterem potiùs, quàm voluntati ejus me opponerem. Dein oſculum figens infanti poſuit, ut tenerum & innoxium corpuſculum terræ mandarem, atq; ita à ferarum ſilveſtrium laniatu præſervarem. Deniq; repetito oſculo, infantem cruce ſignatum, ſine ulla impatientiæ ſignificatione mihi tradidit in manus.

COM. Pergas itaque, & voluntati meæ ſatisfacias, rogando ſororem meam, ut hunc quoq; infantem éducet, ſed ita ne res palàm fiat. Deus & te, & puerum ſervet incolumem: & hanc triſtitiam in majorem convertat lætitiam.

ACTUS

FRIDERICUS, LUCAS, TRIBUNUS, PRÆFECTUS.

PApæ! quid hoc monſtri eſt? Quis malus error comitem noſtrum abſtulit, ut ex ſe natis tam ſit iniquus & durus? ut non ſolùm filiam, ſed & filium morte damnet? certè immiſericorditer & crudeliter hæc facta, tota clamat provincia. Nec aliter ſibi cives perſuadere poſſunt, quàm principem mente alienatum eſſe: qui velut Hercules in liberos ſuos ſæviat.

LUC. Os comprime quæſo. Nam ſi hæc à te dicta reſciſcat: peſſimis te nobiſcum exemplis perdat. Quod tamen in aurem tibi velim dictum: omnia is hæc fecit ſuo unius conſilio, nobis nec ſcientibus, nec ſuadentibus. Si enim nos in ea re conſuluiſſet, profectò auctores illi non fuiſſemus liberorum occidendorum. Quis enim ſanus iſta approbet? eoq; tantùm ſpectare hæc puto omnia, ut principi optimæ dolorem inurat. In hoc autẽ

nego-

negotio plus aulici concionatoris correptio proficeret, quàm noſtrum omnium monita. Nam Concionatoris autoritatem haud parum Comes reveretur. Nobis autem non eſt integrum, hujus facti deformitatem ei ponere ob oculos.

FRID. Immò integrum nobis, & perſonæ quam gerimus, conveniens eſt, id ſedulò facere, quod in rem rectè conducat publicam. Quare libertate orationis utendum, & in proximo ordinum conventu querelam hanc movendam eſſe, cenſeo. Nam ſi tacuerimus, quando princeps ſanguini ſuo non parcit: tandem in nos ſimili utetur immanitate.

TRIB. Meminiſtiné, Præfecte, quid aliquãdo de mirificis illis nuptiis tibi dixerim: fore ſcilicet ut mirabili etiam exitu terminentur? Nunquam autem futurum ſperabam, ut Griſoldis ad mores provincialium tam dextrè ſe accommodaret, eoquè nomine quorumcunq; calculis approbaretur. Nunc illa vicit expectationem noſtrã:

Comes

Comes autem minus facit, quàm ſperaveramus. Duxit ille pauperculam quidem, ſed venuſtam, ſed omni virtutis laudiſque genere abundantem. Quæ ubi liberos ei peperit, imperii olim hæredes futuros: ipſe quaſi pœnitens facti, optimam fœminam deſpicatui ducit, ac filios ejuſdem neſcio quò aſportari mandat.

PRÆF. Non tutum eſt de rebus tam invidioſis multa dicere: quanquam paſſim audiantur querelæ de ſumma ejus in conjugem & liberos inhumanitate.

ACTUS IV. SCENA III.

COMES, PROMTULUS, LUCAS, FRIDERICUS, TRIBUNUS, OECONOMA, UXOR PRÆFECTI.

ADhuc ſemel tuâ, Promtule, operã ad explorandam conjugis patientiam opus eſt mihi. Clam itaq; ad ſororem meam iter inſtitue: eamque meis verbis mone, ut cum Comite Banochio marito ſuo ad nos veniat, libe-

 roſq;

roſq; meos ſecum adducat: ſplendidiſſimo apparatu urbem noſtram ingrediens, ut omnis multitudo ad ſpectaculum ſe effundat, ac nemo non putet, novam mihi nuptam adduci illius filiam, quam in locum repudiatæ Griſoldis, thalami mei conſortem faciam. Ita autem rem age, quaſi Romam ad Pontificem maximum proficiſcaris, ut ab eo diploma mihi impetres ſeu libellum divortii, quo omnino ſeparer à Griſoldi.

PROM. Novi ego, quæ hîc meæ ſint partes: & quàm dexterrimè, quod vis, efficiam.

COM. Aulicos quoſdam conſiliarios propè aſtantes video: ex quibus percontabor, quæ ſit materia colloquii ipſorum? Ecquid inter vos deliberatis? An non ſermones de mea perſona habetis?

FRID. Parum abeſt, Domine, quin acu rem tetigeris. Collocuti enim ſumus de binis liberis tuis, quos tuo juſſu interemptos eſſe comperimus. Sanè à te duriter immiſericorditerq; factū, & no-

& nobis & toti videtur populo. Atq; utinam factum illud infectum reddere poſſemus!

COM. Ergonè iſtud tam malè vos habet? Quid verò, ſi etiam uxorem aulâ meâ expellam, & nudam ad parentem ſuum remittam? Jam enim literas dedi ad Pontificem Romanum, ut ipſius indultu ac diſpenſatione, aliam pro arbitrio uxorem poſſim ducere: utut ilia vobis omnibus rumpantur.

LUC. Clementiſſime Domine, ne illud quæſo in animum inducas tuum. Ipſe tibi pro optimâ conjuge, quam tibi in omnibus morigeram, jam per annos 14. expertus es, ſupplico: futurumq; divino, ut nuſpiam reperias magis laudatam, magiſq; tuis moribus aptam matronam.

TRIB. Laudes ejus omnis hæc provincia perſonat. Omni enim ſtudio enixa eſt, ut juſtum & clemens eſſet imperium tuum: certè ſubditi ægrè eâ carebunt. Quin ergo diutius eam ut thalami conſortem retines?

 COM.

COM. Tace ſis: nec enim preces, aut conſilium tuum apud me jam locum invenit.

Iratus abit.

LUC. Mirum mihi videtur Comitis ingenium: qui an lucri aliquid ex hac uxoris dimiſſione ſenſurus ſit, dubito. Suo quodam utitur conſilio in optima conjuge tam duriter exagitanda.

OECON. Anné audiviſtis aliquid, Viri ampliſſimi, quòd Promtulus celeribus equis vectus advenerit, ac diploma Pontificium attulerit de Griſoldi penitus ſejungenda à Comite noſtro, aliaq; Sponsâ ei conciliandâ, natalium ſplendore ipſi pari?

PRÆF. UX. Heu commemorabili virtute matronam! Ergo ejus conſpectu deinceps nobis carendum eſt? Proh, quæ noſtra erit conditio, ſi alteri dominæ ſubjiciemur? Certè non ſimilem prioris, quæ æquè locupletibus & pauperibus jucunda erat, Comes uſquam gentium inveniet.

TRIB. Ut malos ſummus Jupiter ad pallentes Erebi umbras adigat, aut terra hujus cõſilii architectis jam dehiſcat! Ergoné à ſeipſo deſcivit Comes noſter, omnemq; humanitatis ſenſum exuit? Qua enim re movetur, ut uxorem tam probam, tam mitem, tam morigeram, tam charam omnibus, dimittat, ejiciat, exturbet? Cacodæmonis invẽtum eſſe reor hunc divortii libellum. Nec enim Deus, conjugii autor & fautor, eam Pontifici poteſtatem dedit, ut conjugia pro libitu diſſolvat, irritaq; faciat. Ergoné eò avaritiæ deventum eſt, ut pecuniâ numeratâ, omnia liceant? ô mores, ô ſcelus, ô labes! Memini, me aliquando ipſi dare conſilium, ut ſi caſto conjugio nollet uti, ſaltem cauto amore cœlebs ſe oblectaret, & vagâ contentus eſſet Venere. Ille verò miram tum præ ſe ferebat religionem, quaſi conſcientiam ſuam vulneraret, ſi promiſcuis amoribus indulgeret. Nunc autem poſtquam uxoris ſatietas illum cepit, illâ expulsâ aliam ſubſtituit.

O levitatem ſingularem! ô inſolentiam deteſtandam! Innocentiam quidem Griſoldis ſpero olim in lucem productum: inauſpicata autem iſta conſilia diſſipatum iri.

ACTUS & SCENA IV.

ÆTHIOPICA.

NEſcio quî fiat, quòd hera mea, Comitis Banochii uxor, jam & filiâ & filio aucta fuerit? cùm tamen nunquam geſſerit uterum, nunquam Junonem Lucinam clamaverit. Nec poſſum reſciſcere, unde hi liberi ad eam deferantur? Nec credo, eam ſubditorum alicujus infantem adoptaſſe, ut tempus facilius fallat, ſi cum illo ludat, eumq; nutriat. Non enim privatorum liberi tam delicatè & ſplendidè ſolent educari, quàm hi duo: qui non aliter curantur, quàm ſi illuſtris Dominæ eſſent conſanguinei. Nec intelligo, aliunde huc miſſos eſſe ad aulam Comitis noſtri, quaſi extraneorum principum filios. Suſpicor igitur, cælitus in palatium noſtrum delapſos eſſe, cùm origo eorum inquiri non poſſit.

O quam diverſa ſunt hominum diverſorum fata! Ego ſanè beatam me prædicarem, ſi liberos ex me natos viderem. Sed jam in annum tertium nupta vivo cum marito meo, nec tamen ullam ex eo ſuſcepi prolem, cum qua luſitem: id quod non ſemel ardentiſſimis votis optavi.

Quando ergo ut quimus, vivere neceſſe eſt, quando ut volumus, non licet: æquum mihi parabo animum, & puero illi principi ridebo, illum lavabo & purgabo, illum in cunas reclinabo, eundem in ulnis geſtabo, ſaltanti ſimilis: & alienis me oblectabo, cùm propria pignora mihi deſint. Fortaſſe meus herulus jam evigilavit: nam ferè ante duas horas eum ad ſomnum compoſui. Neceſſe eſt igitur viſam, an ſomnum adhuc capiat, an verò vigilet?

ACTUS IV. SCENA V.

COMES, GRISOLDIS, OECONOMA.

ABi Curſor, & Griſoldim accerſe: nam præſentiam ejus deſidero. Quamvis antea duobus experimentis cognoverim uxoris meæ vel in ipſis ærumnis conſtantiam: tamen periculum tertiò faciam patientiæ ejus atq; obædientiæ: quam ſi mihi teſtata fuerit, deinceps eam mitiùs tractabo, & præcipuo quodam honore colam, tanquam rarum exemplar muliebris probitatis.

GRIS. Quid me vis, Domine? Ad te enim accerſita ſum per curſorem.

COM. Te quidem Griſoldi, animâ & corpore Deus ſervet. Non poſſum, quin tibi aliquid patefaciam, quòd tamen vehementer excruciat animum meum. Ne diutius te teneam: Nobiles ac primores hujus provinciæ non quieſcunt, donec te planè à me disjungant. Conſtitueram equidem tecum in conjugio ſummis deliciis gaudiiſq; perfrui. Itaq; te uxorem (ut ſcis) delegi, non habita ratione humilis ortus tui, ſed modeſtiæ ac reliquarum virtutum. Sed jam exemplo tuo admoneor, fortunæ ridenti non eſſe credendum. Nam

Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa, tenaxq; loco.

Et ſanè ipſa perſpicere potes, minimè perſonam meam decere, conjugem habere ruſticam, aratoris filiam: quã rem aſſiduò exagitant & cavillantur nobiles mei. Itaq; à Romano Pontifice has literas obtinui, quæ mihi permittunt te à me ſpernere, aliamq; illuſtrem & meo loco dignam fœminam matrimonio mihi copulare. Eaque paucis diebus ſolenni pompâ eſt adventura. Te igiur aſſentiente hæc omnia fieri velim. Et quamvis à me diſjungenda ſis, non tamen omnino te deſtituam: ſed & tibi viduæ, & parentibus tuis quacunq; ope clementer adero, & rationibus veſtris per occaſionem lubens conſulam.

GRIS.

Gris. Hæc rerum facies & finis, non mihi nova aut inopina ſurgit. Cuncta enim illa animo mecum antè meditata ſum, & quaſi prævidi. Humilis enim ſtatus meus & tua ſumma dignitas, immane quantum diſcrepant. Ego me indignam arbitrabar, quæ ancilla tibi eſſem, nedum conjunx. Ac Deum teſtor, poſtquam in hoc palatium introducta fui, non me tantum mihi tribuiſſe, ut dominam me cenſerem, ſed famulam vel infimam. Nunc tibi clementiſſime Domine, pro eo honore ac benevolentia, quam durante conjugio mihi declaraſti, maximas ago gratias, & habebo dum vivam: referre enim tenuitatis meæ non eſt. Divinitus autem hæc retribui, & te incolumē & florentem diutiſſimè conſervari, etiam atq; etiā opto. Et quoniam rationes tuæ non ferunt, ut me diutius veluti conjugem retineas: age, non invita ad patrios penates remigro, & paupertatem ut veterem contubernalem reviſo, ac vidua vel eo nomine felix permaneo, quòd olim thalami tui ſocia fuerim. Adeoq; omnes hîc veſtes exuo & depono, quas domo paterna non attuli. Reliquum mundum muliebrem, quo hactenus permiſſu tuo ſum uſa, in cubiculo meo cunctum reperies. Illud autem parùm me angit, quòd Nobiles me immeritam odio habuerint, & fortaſſe plebeculæ furores contra me concitaverint. Porrò indecórum arbitror, eum ventrem, qui liberos ex te ſuſceptos geſtavit, nudum totius populi oculis conſpici. Quamobrem clementiæ tuæ ſupplico, ut aliquam officiorum à me præſtitorum rationē habeas, & ſaltem induſio tectam me à te diſcedere patiaris. Veruntamen & hanc rem tuæ clementiæ judicio ſtatuendam relinquo.

Oec. Ego verò, niſi tibi ſecus videatur, Domine, meipſam palliolo meo exuam, & Griſoldim lubens meritoq;, illo induam.

Comes *lacrimans & ſe avertens:*

Facilè

Facilè hujus rei poteſtatem tibi facio, ac te valere, Deoq; propitio uti jubeo.

Gris. Ille viciſſim & te, omneſq; tuos, & totam hanc ditionem tueatur, & omnibus cumulet bonis.

ACTUS IV. SCENA VI.

CURSOR, GRISOLDIS, JANICULUS, RUSTICA.

OMnino inexorabilem video eſſe Comitem noſtrum. Ego tamen vicem Griſoldis doleo, nec poſſum quin patrem ejus hac de re certiorem faciam: omnem ſcilicet ejus lætitiam jam expiraſſe, & filiam ejus omni dignitate exutam, inopemq; ad ædes ipſius reverſuram.

Gris. Quandoquidem ergo hoc eſt in fatis, ut ab aula & principis toro exſulem: non me factum præſens tam perturbat, quàm alterum illud ſanè immite & aſperum, quo liberis meis, tam tenerâ immaturaq; ætate, penitus me orbaverat.

Jan. Tibi quidem gratias ago, adoleſcens, ob reductam filiam. Sed nunquam crediſſem fore, ut princeps illam repudiaret. O filia, quàm miſeranda ad me redis! Quanquam ſemper fui ſuſpicatus, nuptias tam imparium haud fore auſpicatas. Divinare etenim licebat, principum voluntates eſſe mutabiles, & facilè uxorum faſtidium illis obrepere, ut novos amores ſectentur. Quod tuo jam exẽplo doceor, proh dolor! Ac rectè quidem tibi conſului, quòd veteres tuas veſtes aſſervavi: quaſi animus jam tũ mihi præſagiret futurum, ut quando amor ipſius, qui initio ardere videbatur, refrixiſſet: ſuis te penatibus exturbaret, & ad parentes remitteret. Perſpexi enim nonnihil potentiorum technas.

Gris. Ego certè, mi pater, non poſſum ſatis aſſequi aut indagare, quam ob cauſſam hæc ſint facta? Non tamen audeo Comitem noſtrum hac in parte incuſare: quem profectò ſine gravi cauſſa hoc in me ſtatuiſſe, mihi perſua-

persuadere nequeo. Mi pater, hoſpitium quæſo, ut antea, mihi præbeas, ut tecum ingloria & inops ætatem exigam. Ubinam repoſuiſti tunicam illam ruſticam, quâ olim fueram uſa?

JAN. Commodè mihi in mentem venit illam à te repetere, ut re ita ferente, reſtituere tibi eandem poſſem. Ingredere in ædes, mea filia: tegam illâ nuditatem tuam.

RUST. Eheu me miſeram, quæ te, filia, nudam propemodum cogor aſpicere! Quænam intemperiæ Comitem tenent, ut te in exſulium mittat? Quomodo tam immitis & importunus eſt, ut ejectione tui ignominioſâ & meos, & parentis tui canos offendere non dubitet? Quod ſi minùs oculis, aut animo ejus placuiſſes: ab initio conjugem te ſibi non adſciſceret. Etiamſi non conjuncta fuiſſes Comiti: tamen ex adoleſcentibus ruſticis maritum tibi delegiſſem: qui agellos noſtros nobiſcum poſſediſſet, & mediocribus facultatibus noſtris contentus

fuiſſet.

fuiſſet. Ita nihilominus ſatis dapis, invidię autem ac ſolicitudinis minus habuiſſemus: & tu itidem liberis editis, avorum ſenectutem oblectaſſes. Verùm quod fors tulit, æquo feramus animo. Non, ſi malè nunc, & olim ſic erit. Solet enim triſtia lætis mutare Deus, cui utramq; ſortem noſtram committimus.

ACTUS IV. SCENA VII.

RUSCIO, LAPUS.

Hei mihi, væ mihi!

LAP. Quid eſt, quòd ſic ejulas?

RUSC. Quidni ejulem? an me in luctu ridere, magis decorum cenſes?

LAP. Quibus ergo malis urgeris?

RUSC. Fame & ſiti deinceps mihi pereundum video: poſtquam mei ſæpius miſerta Hera, ex aula ejecta eſt.

LAP. Quis id fecit?

RUSC. Vah, ridiculè rogas, quaſi neſcias illud:

Nam quanquam ſoli poſſunt prodeſſe potentes,
Non proſunt: potius plurimum obeſſe ſolent.

Comes noſter, quem meritò ob eam

cauſſam

cauſſam odi, non vult ruſticam, ſed regibus editam habere uxorem.

Lap. Hoc facilè obtinere potuiſſet, ſi Griſoldim mihi deſpondiſſet. Ego enim, licet ab illo repudiatam, tamen non repudiaſſem.

RUSC. Quid tu homuncio faceres tam præclara & laudata fœminâ? Triobolaris aliqua ancilla, quæ foricam lavat, tibi potiùs jungenda eſt. Nam ſiliquæ porcis conveniunt, non lauti cibi. Ego verò haud ſimili Heræ me amplius ſervitùrum puto. Nam Griſoldis ubi vidit me aut ligna, aut aquã in culinam geſtare, & ſub onere defatigari: ſæpiſſimè panem, carnes, vinũ mihi dari juſſit, quibus vires inſtaurarentur.

LAP. Eho, an Comes ipſe non poterit te alere?

RUSC. Quid ille alat? cùm etiam liberos ſuos occidi curet, ut cibum ac potum, illis neceſſariò præbendum, comparcat. Ego hanc ipſius tyrannidem fugâ declinabo, & alibi commodiorem dominum quæram. Vale.

ACTUS

ACTUS V. SCENA I.

JANICULUS & JACOBELLUS.

O Mi agnate, non erat mihi obſcurum, quod etiam in os dixi Comiti, nuptias filiæ meæ ambienti: non fore diuturnum illud conjugium, quo princeps celſiſſimus, divitiiſq; affluétiſſimus, puellam humilem atq; egentem ſibi copularet. Quid enim communicet olla cum aheno? in q. ſi offenderit ea, confringetur. Quid ſocietatem aſinus cum bove contrahat? quorum hic cornu illum ferire, ac ſauciare facilè poſſit. Nunc miſellus ego aſinus tandem ſentio, quæ robuſti illius bovis fuerint poſtulata, & quàm mihi exitialia?

JAC. Itáne hoc ſeculo agitur? adeò vilipenditur ſanctiſſimum conjugii vinculum? ut ſi quem conjugis ſatietas ceperit, eam cum alia commutet, ac priori det inſtrumentum divortii?

Non hoc unquam à concionatore noſtro me audire memini. Quod ſi hæc conſuetudo inoleſceret, ut privati eodem cum principibus jure gauderemus: meam quoq; uxorem, anum rugoſam ac deformem dimitterē, ejuſq; loco juvenculam ducerem.

JAN. Quid ais, agnate? Tu potius eam retine, cum qua ſimul ipſe conſenuiſti. Ætate enim provectæ uxores rem familiarē rectiùs curare uſu ipſo didicerunt: cùm juvenculæ non rarò vix offam aut olus præparare ſciant ita, ut eſui ſit. Ac ſæpe poſteriores nuptiæ minùs ſunt auſpicatæ, quàm primæ fuerunt. Quare ſi ſapis, ne cogita de permutanda uxore?

JAC. Quaſi verò hæc ſeriò dixiſſem. Sed tu jocos meos ne ad uxorem meā deferas. Ego tecum in diverſorio cōpotatiunculam inſtituam, ut vinum te curis ſolvat.

JAN. Non ita quidem hæc me cura remordet: quin potiùs ægritudinem animo expello, & quod mutare non poſſum, æquo animo fero, eventum Deo committens: qui victum & amictum nobis largietur, quamvis filia mea non tanto ſit in honore, quanto ab aulicis affecta quondam fuit. Etiam mediocritatem noſtram illa boni (ut ſpero) conſulet.

ACTUS V. SCENA II.

COMES, CURSOR, GRISOLDIS, JANICULUS.

TRanſcurre puer ad ædes Janiculi ruſtici ac Griſoldim ocyus in arcē huc ſeſé recipere jube.

CUR. Mox illam inventam, & mecum huc adductam curabo.

COM. Vulgatum eſt verbum: ſi amantes denuo conjungantur, id perinde eſſe, ac ſi nunquam diſtracti fuiſſent. Hoc verum experietur hodie Griſoldis mea, quam ego auro contrà habeo charam, utut hoc diſſimulaverim: & ipſa etiam putaverit, ſe nullo amplius apud me in precio eſſe. Hac enim luce filius filiaq; mea, quos dudum necatos cuncti autumant: in hanc urbem ſolenniter ingredientur,

 ciueſq;

civeſq; paſſim ſibi perſuadebunt, ſpōſam ſummo loco natam mihi adduci. Accerſi itaq; Griſoldim juſſi, tanquā excepturam hoſpites illos, quorum magno teneor deſiderio.

CUR. Salve, optima fœminarum, & juſſu inclyti Comitis noſtri, curriculo mecum in arcem tranſcurre. Tua enim requiritur hodiè præſentia.

GRIS. Ego quidem promta ſum ad obeunda Comitis mandata. Sed tamen rem parenti meo indicabo. Mi pater, copiam mihi facias in arcem tranſcurrendi: quia ita fieri jubet illuſtris Comes noſter. Dicto citiùs ad te revertar.

JAN. I, neq; te teneo, neq; mandato Cōmitis adverſor. Cauſſam tamen itionis tuæ cuperem cognoſcere. Fortaſſis operâ & miniſterio tuo in aula utetur, dum occupati erunt omnes in nova Sponſa dignè excipienda.

COM. Dudum ex me audiviſti, Griſoldi, quòd in animo habeam virginē quandam generoſiſſimam, anniſque floridam uxorem ducere. Ea igitur

hodiè

hodiè adducetur, ſtipata multis proceribus ac nobilibus. Præter te verò neminem inter aulicos habeo, qui ea, qua par eſt, dexteritate & verborum honore, tam ſplendidos & exoptatos hoſpites excipiat. Novi enim ingeniū tuum, innumeris moribus aptum, & callens etiam mores meos. Quamvis ergo non ſplendidè ſis veſtita: tamen à te peto, ut quemvis hoſpitem, pro ſtatus & dignitatis ſuæ qualitate tum excipias, tum colloces: omniaq; ad ſolennitatem nuptiarum pertinentia præpares. Tuæ prudentiæ rem omnē committo: cujus etiam fidem & mihi obſequendi ſtudium ſæpius perſpexi. Itaq; omnem hac de re curam & ſollicitudinem depono. Ubi verò hæc pompa nuptialis peracta fuerit: ad paternos lares redire tibi licebit.

GRIS. Ego, illuſtris Domine, hoc tibi pro ſervitio debeo conari manib. pedibuſq;, noctes & dies, dum voluntati tuæ obædiam.

COMES BANOCHIUS, COMES GUALTHERUS, FILIA GUALTHERI, COMES PUER, GRISOLDIS, OECONOMA, PYGMÆUS, UXOR EJUS ÆTHIOPICA, HOSPES NOBILIS.

ADvenio, generoſiſſime Gener, & mecum adduco Sponſam, tibi pridem promiſſam: filiam ſcilicet meam, cum dote generi ac familiæ noſtræ convenienti.

COM. GUAL. Salvus ſis, optime Socer. Salva ſis, Sponſa chariſſima. Salve, affinis nobiliſſime: voſq; item comites cæteri.

FIL. GUAL. Illuſtris & Clementiſſime Domine, quòd incolumes ac bonis avibus ditionem tuam attigimus, & te incolumem aſpicimus: Deo maximas nos gratias fatemur debere. Quod verò nuptias meas te expetere cognovi, aſſentior: in primis quia intellexi, chariſſimos parentes meos harum nuptiarum auctores eſſe. Eorum ergo voluntati lubens meritoq; me ſubmitto, & tuæ fidei me deinceps committo.

COM. PUER. Me quoq; juvat conſpectu tuo frui, teq; omnibus animi & corporis, & fortunæ bonis florentem adſpicere. Deus te in Neſtoreos uſq; annos ſupereſſe faciat: & hoc cum ſorore mea cœptum matrimonium felix & fauſtum eſſe velit jubeat. Regnet in thalamo veſtro concordia, & ad votum vobis affluant, quæcunq; poſtulatis.

GRIS. Salvus ſit in hunc comitatum adventus tuus, Sponſa generoſiſſima. Salvi ſitis, Heroës matronæq; illuſtres. Vos omnes cum toto comitatu veſtro per me ſalvere jubet clementiſſimus Dominus noſter.

OEC. Ah Domine, dedecus eſſe videtur, Griſoldim inter tam ſplendidos hoſpites verſari, tam vili amictu tectã. Quin lautiores, eiq; magis decóras veſtes hodiè afferri jubes, quas in iſta ſolennitate indcat.

COM. GUAL. Satis ornata eſt veſtibus. Quilibet enim iis indui debet ve-

ſtibus, quæ ipſius conditionem decent.

PYGM. Concedite atq; abſcedite: omnes de via decedite. Nam ſi quiſquã tam audax nunc ſit homo, qui obviam obſiſtat mihi: is, ſat diu ſeſe vixiſſe deprehendat ſaxo.

NOB. HOSP. Quid tu, homuncule, tantum facere incipis cum tantis minis? Baſilicas enim edictiones atq; imperioſas habes: nec aliter agis, q̃ ſi omnes homines ſtatura & robore, bellandiq; peritiâ vincas: cùm tamen ternos dodrantes lõgitudine nõ excedas.

COM. PUER *ad Pygmæum*:

Strenue eques, quòd ita ſtaturam tuã cavillãdo deprimit, id ne muſſitando toleres: ſed reponas ipſi maledicta, nec te patiaris ludos hic fieri,

PYG. Tu quidem miſſum me facias, ſuadeo. Quod ſi tibi ſcapulæ pruriunt: præclarè tuum tergum acinace meo concidam. Quamvis corpore ſim parvus, tamen animi fortitudine excello: ac multa ſtrenuè geſſi contra gruum exercitum, nos ſine fine infeſtantem.

NOB.

NOB. Atqui nunquam ego crediderim vel unam illarum à te occiſam eſſe. Cur ergo non domi manſiſti, donec hoſtes omnes conficeres?

COM. BAN. Fac defenſio tui, vir ſtrenue, ne deſit tibi: quoniam te ludos volunt facere.

PYG. Fortuna, quæ nemini perpetuo eſt bona, me quoq; evertere conata eſt.

NOB. In gratiam ergo noſtram cõmemores quæſo, quid adverſi ſis paſſus? ut etiam adſtantibus his innoteſcat, qui & quantus vir ſis?

PYG. Regionis noſtræ hic mos eſt, ut inſidentes arietum caprarumq; dorſis, armati ſagittis, Veris tempore universo agmine ad mare deſcendamus, eaſq; alites debellemus: quæ patriam noſtram devaſtant, omnemq; frumenti copiã abſumunt. In prælio igitur adverſo evenit, ut inermis ariete, quo vehebar, excuterer. Grus igitur quædã, me acinace & ſagittis orbum deſup conſpicata, unguibꝰ corripuit & trans mare vexit. Sed telo vulnerata

à nauta

à nauta quopiam, mecum exanimis in aquas decidit: ex quibus ego extractus, & poſtea domi loco ad clementiſſimum comitem allatus fui. Qui itidē puellam, inde uſq; ex Æthiopia advectam, mancupio nactus, eam mihi deſpondit. Habetis hiſtoriam caſus mei: unde perſpicitis, me non riſu dignum eſſe. Qui autem me ridere atq; illudere perget, is faxo ſentiat, etiam noſtro de vulnere ſanguinem ſequi.

COM. PU. Hoc laudo, quòd honorem defendis tuum, & adverſarii convitia maſculâ oratione refutas. Quod verò de caſu tuo adverſo es conqueſtus: næ tu infortunio tuo felix fuiſti, qui jam à parente meo inter aulæ familiares ſis adſcitus: ubi tranquillam vitam agis, nec belli aleam porrò ſubire, nec timere cógeris, ne à ſæva aliqua grue per aërem rapiaris, aut unguibus ejus lancineris. Nam ſecurè & abſq; periculo nobiſcum potes ætatem agere.

ÆTHI. Mecum in aulam contende, voluptas mea. Nam pueri aulici

planè

planè me ludibrio habent: quibus minata ſum, eos non impunè mihi illuſuros, ſi querelā meam ad te detulero.

PYG. Equidem tibi pollicitus ſemel ſum, meis manibus te adverſus omnes injurias & contumelias defenſum iri. Quare ſis bono animo. Ego enim cum hoſtibus Achille fortioribus congrediar: ac væ illi, qui te vel minimo digitulo attigerit. Sanguine enim ſuo noxam luet.

ÆTHI. Facilimè credo, te ubi acinacem tuum vibraveris, eos diſſecturum medios, ut cerebro diſpergant viam.

PYG. Ne time. Acinaces meus utriq; noſtrum ſaluti erit.

COM. BANOC. Domine Gener, an non laude dignus videtur hic meus bellator? Sed age ſpectatum eamus, quàm fortia facta in arce ſit patraturus?

NOB. Chirurgum ocyùs accerſite, qui ſanguinis rivos ſiſtat. Aulici enim à Pygmæo tam graviter ſunt ſauciati, ut aliorum dentes è naribus excuſſi ſint:

ſint: alii nec oculis audiant, nec cer-
nant auribus. Adeò ſalus ipſorum
deplorata eſt.

Pyg. Exſequias pubi aulicæ: quib'
eſt commodum ire, jam tempus eſt.
Sic dabo. Age nunc, age, me qui volet
laceſſito. Faxo tali eum afflictum, atq;
hi ſunt, infortunio.

ACTUS V. SCENA IV.

CANCELLARIUS, CONCIO- NATOR, NICOLAUS, CRISPINUS.

ETiam atq; etiam lætor, Vir reverē-
de, te incolumem ad nos reverſum.
Ex quo enim tu peregrè abſuiſti, ea
acciderunt, quæ me pudet loqui. Non
n. ſine horrore illud cogito, quòd no-
ſter Comes, q priùs apud omnes benè
audiebat, ſuâ culpâ tantam ſibi apud
omnes conflaverit invidiam. Quod ſi
maturiùs nobiſcum fuiſſes, multa in-
commoda cavere & avertere potuiſ-
ſes: quippe cujus auctoritatem reve-
retur adhuc Dominus noſter..

Con. Sperabam equidem omnia
tran-

tranquilla fore, poſtquam conjugium
illi perſuaſimus. Sed quid inauſum lin-
quit hominum inſania? Illumné uxo-
ris & liberorum omnem curam abje-
ciſſe? omnē humanitatis ſenſum exu-
iſſe? nullam honoris ac famæ ſuæ ra-
tionē habuiſſe? ô facinus audax! ô Sa-
tanas monitor! Utinā mihi maturiùs
ad vos reverti licuiſſet! Tam gravib'
n. verbis illi facti turpitudinem ob o-
culos poſuiſſem, ut pudore ſuffuſus il-
lud, q, jam pfecit, intermiſiſſet. Verùm
morbi vis tamdiu apud extraneos me
remorata eſt. Atqui præſens Comitī
haud blandiar aut aſſentabor: ſed pro
officii mei ratione illum urgebo, ut a-
periat, quonā ablegaverit liberos ſu-
es? q̃ ob cauſſam Griſoldim, virtutis
nomine toti provinciæ commendatiſ-
ſimā, à ſe expulerit? cur animo ſit tam
obſtinato, ut etiam novam inducat
conjugem, durante priori matrimo-
nio? Certè nulla circuitione uſus, totā
ei rem eloquar: nec concedam, ita me
Deus amet, ut cum novâ hac nuptâ
publico ritu in templo copuletur..

Canc.

CANC. Facis quod te decet, Vir clariſſime: Deuſq; pondus & ſucceſſum verbis tuis addet.

In arcem hi tendunt.

NIC. Hoc equidem laudo, ſi principibus delinquentibus non minùs parcatur, quàm civibus privatis. Credo equidem, illum tonaturum & fulguraturum, aculeoſq; in animo principis relicturum.

CRIS. Concionatoris reditus è re erit totius provinciæ. Nam licet officium conſiliarii politici ferint: tamen illorum verba non magis curavit Comes, quàm aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas. Immò odio illos habuit, & vehementer hodieq; illis ſuccenſet. Sed efficacior erit concionatoris correptio, niſi fallor.

ACTUS & SCENA V.

ARCHIMAGIRUS, EQUISO.

VIdiſtiné illam nuptam novam, quæ noſtro Comiti deſponſabitur? Mihi quidem hæc videtur Glauci & Diomedis permutatio. Adeò mihi hæc præſens arridet præ Griſoldi.

EQU.

EQU. Cùm faciem videas, eſt illa certè pulcerrima: eſt etiam ætas tenera ac florẽs. Nec dubito, quin in tam pulcro corpore pulcerrimus etiam animus habitet. Atq; iſtis nominibus beatum ſe jam prædicat Comes. Sed vereor, ut omnia ei fluant ex ſentẽtia. Inauditum eſt enim noſtro ſeculo, quempiam duas ſimul uxores alere. Nec licet ita temerè conjugii legitimi vinculum diſſolvere. Certò equidem audivi, nunq̃ futurum ut aulicus concionator in hoc facinore conniveat.

ARCH. Nec ego rem impunè abituram arbitror: cùm in pueritia mea ſcitum illud audiverim: Eum qui honeſtas fœminas, ac pios ſacerdotes cõtumelia afficiat: rariſſimè placido exitu vitam ſuam terminare.

ACTUS V. SCENA VI.

COMES, GRISOLDIS, OECONOMA, ÆMYLIA, JOHANNA.

DIc mihi, Griſoldi, quid videtur tibi de nova Sponſa mea? ecquid placet ea tibi? nonné ſcitam & elegantem eſſe arbitraris?

H GRIS.

GRIS. Abſit, ut eam coram te vituperem, Comes inclyte. Quod ſi venuſtate tam ornata, quàm vultu eſt venuſta: equidem laudibus in cœlum eam tollam. Quamvis hac de re nulla tenus dubitem. Illud ſolum te moneo: ne generoſam hanc & teneræ ætatis puellam tam aſperè ac duriter, quàm priorem exerceas conjugem. Hæc n. in iſto flore non tot acerba perferre poterit: quippe natura & annis mollior.

COM. O dilectiſſima Griſoldi mea: Satis jam, ſatis perſpectam habeo fidem & omnigenam virtutem tuam. Nec te quicquam amplius cælabo. Non puto quenquam in hoc orbe terrarum maritum vivere, cui ita ut mihi explorata ſit uxoris fides, amor ardẽs, & obædientia in tam variis caſibus omni tempore promtiſſima. Illud ergo tibi hoc complexu & oſculo confirmo, te ſolam mihi uxorem eſſe, ſemperq́; futuram eſſe: te non ſolùm tori, ſed etiã imperii ac provinciarũ mearum conſortẽ eſſe: nec ullam aliam in communionem earum rerum venire. Sed virginem illam, cui ſponſæ titulus tribuebatur, ſcito eſſe filiam noſtram: adoléſcentem illum, ejus fratrem, noſtrumq́; filium, quem clam te in exteras terras juſſi aſportari, ut conſtantiam tuam & æquum tam in adverſis, quàm proſperis rebus animum explorarem. Nunc itaq; ſis bono animo. Nam filiam, filium, meq́; adeò ipſum, & omnes poſſeſſiones meas tibi reſtituo. In poſterum ab omni ſolicitudine libera, majoribus exornabere honoribus. In cujus rei teſtimonium nõ fallax cape hunc annulum, quaſi fidei conjugalis nunq̃ abrumpendæ novam arrham.

GRIS. Ah mi Deus, ah mi Domine, quantus hic gaudiorum cumulus? Nam præ ingenti lætitia vix ſum apud me.

COM. Inſuper meus ſocer, parens tuus, per omnem reliquam vitam aulæ meæ familiaris, omnem præteritã moleſtiam abſterget, omnibuſq́; deliciis mecum affluet. Tu ergo Curſor, hanc

hanc rem bono ſeni nuncia eumq́; tecum ex pago traductum, in aula vitā reliquam exigere jube. At tu Oeconoma, voſq́; pediſſequæ, recipite, qua caruiſtis aliquandiu, Heram veſtram: eamq́; ut principem fœminam decet, veſtitu amicite ſplendidiſſimo.

OEC. Ut jure optimo, ita libentiſſimè hoc faciam, clementiſſime Domine. Tibiq́;, ô hera optima ac deſideratiſſima, de recuperato prioris dignitatis faſtigio ex animo gratulor: & hanc felicitatem tibi propriam eſſe precor.

ÆM. Deus laudandus in ſecula, q lectiſſimam principem nobis reduxit. Non enim poſſumus dignas, quas ſapientiſſimo omnium rerum moderatori pro tanto munere agamus, animo concipere gratias.

JOH. Jam denuo lætari incipio, poſtquam tu Domina nobis reſtituta es. Jam longè promtiori animo vitam aulicam ſectabor, & ſub te magiſtra virtutis ac honoris viam porrò inſiſtā Adſit tibi divina gratia, ut hic felici-

tatis tuæ curſus nullâ moleſtiâ interrumpatur. Ita voveo, ita eveniat.

ACTUS V. SCENA VII.

PAULINUS, FRANCISCUS, HUGO.

CAndido hic dies lapillo ſignandus eſt, quo præpotens ille mundi totius arbiter non urbem ſolùm, ſed totā hanc provinciam reſpexit: omniaq́; in tranquillum ſtatum redegit, dum & conjux principis in aulam revocata, & liberi ejus, quos amiſſos, imò extinctos putabamus, reperti fuerunt.

FRA. Omni jure Deo gratias agimus omnes, qui prius illud infortunium ad lætum optatumq́; finem perduxerit. Cui enim mortalium in mentem venire potuiſſet, Griſoldim contemtam, abjectam, in exſiliū pulſam, ad priſtinas dignitates, ad conſuetum thalamum revocatum iri?

HUG. Liberos in terras ignotas deportatos eſſe, ac nemini jacturam illam deflere conceſſum fuiſſe, dolebā ſanè & vehementer angebar: præſer-

tim cùm dejectâ principatu Griſoldi, nulla ſupereſſet ſpes liberorum à Comite gignendorum. Sed Deus, qui ex malis bonum elicere poteſt: liberos innocentes & matronam patientiſſimam nobis reſtituit, atq; ita maximo gaudio totam hanc provinciam cumulavit. Ei ſalutem & Comitis, & illuſtris conjugis ac liberorum, porrò piis votis commendamus.

ACTUS V. SCENA VIII.

JANICULUS, CURSOR, GUALTHFRUS COMES, BANOCHIUS COMES, COMES PUER, FILIA GUALTHERI.

VIx animi ſum compos, ſed mihi ſomniare videor. Non enim credibilis mihi videtur nuncius, quem mihi affers. Ergóne filiam meam ais à Comite in gratiam receptam, & poſtquam tot acerbitates perpeſſa fuit, in integrum reſtitutam eſſe?

CURS. Vera dico, ne dubites. Ubi enim in aulam veneris, filiam tuam eo honore decoratam invenies, ut omnis

triſti-

triſtitia tua evaneſcat, qua hactenus vicem ipſius doluiſti.

JAN. Incenſus ſum deſiderio ejus videndæ. Nam manus meæ oculatæ ſunt: credunt id tantum, quod vident. Ego aſinus mirâ profectò uterer felicitate, ſi à bove illo potenti ad ima detruſus, jam denuo in altum eveherer cum familia mea.

CURS. Ipſe jam ibi Comes te exſpectat: progredere celeriùs.

GUAL. COM. Salvum te advenire gaudeo, Socer chariſſime. Cumq; ſuperioribus diebus ob filiæ, domum tuam remiſſæ, caſum mæſtus fueris: jam te animum recipere, lætariq; jubeo. Tu quidem fortaſſe perſuaſiſti tibi, Griſoldis liberos è rerum natura planè ſublatos. At mitiùs cum illis actum eſt. Ecce enim tibi nepotem tuum & neptem, quaſi ab inferis in vitã revocatos. Nam in peregrina regione apud hunc Affinem meum benè ac pudicè, & liberaliter illos curavi educari. Mox etiam filiam tuam videbis, honori ac dignitati priſtinæ reſtitutã,

 ejuſq;

ejuſq; triſtitiam in maximum gaudium converſam. Te deniq; aulæ meæ familiarem perpetuum adſciſcam, ut cum uxore & propinquis omnibus, honoratam & tranquillam exigas ſenectutem, titulo & privilegiis viri nobilis decoratus. Quæ res ergo tibi, mihiq; benè vortat: ſplendidiori pallio ac pileo te veſtiri volo. Ergo vos famuli, afferte huic ſeni ocyùs veſtitum aulicum, eumq; ceu nobilem decet, induite.

BANOC. Hæc non poſtrema, ſenex optime, felicitatis tuæ pars eſt, quòd nepotes tuos aſpicias incolumis, quos jam ad te adduxi.

COM. PUER. Salvus ſis, Ave exoptatiſſime. Deo gratias agendas eſſe fateor, qui te ſalvum & incolumem in hac provecta ætate conſervarit, donec & ipſi vultum tuum aſpicere poſſemus.

FIL. GUAL. Chariſſime Ave, vix fieri putabam poſſe, ut hodiè ora faciemq; tuam intuerer. Sed precor, ut diu mihi id facere liceat.

JAN. *Præ gaudio lacrumans:* Dulciſſimi nepotes, Qui in Deo ſpem ſuam ponit, nunquam pudefiet. Quod ſi & vos fiduciam veſtram in eo collocaveritis: pro voluntate ſua verè paterna ex omnibus malis vos eruet. Jam vobis mihi tandem reſtitutis, quibus perpetuo carendum mihi perſuaſeram: quaſi aquilæ juventa, ætatis meæ vigor renovatur. Eoq; nomine immortales præpotenti Deo gratias ago.

ACTUS V. SCENA ULTIMA.

GUALTHERUS, BANOCHIUS, GRISOLDIS, JANICULUS, FILIA GUALTHERI, COMES PUER, NUTRIX, PRÆCO.

ECce tibi, mi ſocer, filiam tuam, uxorem meam, ſplendidioribus ac infœminam principem decentibus induutam veſtimentis: quæ res, ut & prolis incolumitas, non poteſt non magnum tibi párere gaudium. Dic mihi, generoH 5

generoſiſſime Affinis, ecquid placet jam tibi Griſoldis, mea, hoc veſtitu exornata?

BANOCH. Chariſſima affinis, jam triſtitiam ac ſollicitudinem omnem deponas licebit. Liberos enim, quos Deo benè fortunante in lucem edidiſti, in aula mea, quaſi ex me genitos, ſollicitè honeſteq; educavi: prout petiit maritus tuus, affinis mihi amiciſſimus. Quamvis ille in exploranda conſtantia & patientia tua modum exceſſiſſe videtur. Sed te rogo, ne in malam partem accipias ea, quæ aſperiùs in te egit.

GRIS. Gratias tibi ago pro beneficiis illis omnibus. Quæ dominus & maritus meus adverſus me egit, ea in optimam partem & candide accipio.

JAN. Gratulor mea filia, te ex mortuis quaſi revixiſſe, & ad novæ vitæ lucem progreſſam eſſe. Non aliter enim ſtatuere jam poſſum, poſtquam Dominus Comes & ſeipſum, & liberos tuos ac priſtinum dignitatis gradũ tibi reſtituit. In poſterum itaq; triſtitiæ tuæ & lacrimis, quas hactenus effudiſti, temperes.

FIL. GUAL. Anné hæc eſt, Frater, quam matrem noſtram perhibent eſſe?

COM. PUER. Omnino, mea ſoror. Cùm illa etiamnum ſordidioribus induta eſſet veſtibus: tamen mens mea præſagiebat mihi, eam noſtram eſſe genitricem.

NUT. Serva me, obſecro, ſumme Deus! Anné nobiliſſimi alumni mei, ex hac muliere ſunt prognati? quam equidem credidi ſummi alicujus principis eſſe filiam. Sed quàm mira ſunt Dei judicia, qui tenues ex pulvere, inopes ex fimo elevat, eoſq; inter præcipuos ſuorum collocat! Quoniam ergo luce meridiana clarius eſt, hanc germanam eſſe genitricem veſtram: agite, verecundè ac decorè eam, quæ vos in lucem quondam edidit, excipite.

FIL. GUAL. Scis, mater optima, me in annis ultimæ pueritiæ longè à te diſtractam fuiſſe. Quare te niſi priùs moni-

monita, agnoſcere non potui. Sed te ſalvam eſſe gaudeo, & ad quævis pietatis officia præſtanda me tibi obſtrictam eſſe profiteor, ac præ me fero.

COM. PUER. Nec mihi conſtabat hactenus, ô mater lectiſſima, quænám genuina mihi eſſet mater? Sed amitam meam, quæ me aluit atq; educavit, veram mihi matrem eſſe autumabam. Nunc autem longé aliter ſe rem habere, ipſo facto experior. Quare effecturum me promitto, ut ſemper obſequens voluntati tuæ, ætatem exigam.

GRIS. De me verò hoc ſperabitis, Nati exoptatiſſimi, fore ut maternam pietatem, curam & indulgentiam meam quovis tempore experiamini; dum modò immortalis Deus, qui præter exſpectationem vos mihi reſtituit, vitam clementer nobis prorogEt.

COM. GUAL. O Griſoldi oculiſſima, recipe ergo liberos tuos, mihiq; ignoſce, quòd aſperioribus experimentis mentis conſtantiam tuam probaverim. Illa enim quæ putabatur eſſe durities, jam in ſummam vertetur indulgentiam & gaudendi materiam.

GRIS. Clementiſſime & mihi dilectiſſime Domine: abſit, ut facta tua minus candidè interpreter. Quin potiùs omnia illa, quæ dudum acciderunt, æternâ oblivione ſepelio: & in te communibuſq; liberis per omnem deinceps vitam me oblecto.

GUAL. Tu præco, quemadmodum intus ex me audiviſti, ita jam voluntatem meam univerſo populo ſignifica.

PRÆC. Sine dubio ad pleroſque veſtrũ rumor hic emanavit, hoſpites gratiſſimos hiſce diebus ad inclytum dominum noſtrum veniſſe, Affines nimirum, & Comitis liberos diu jam deſideratos: in aulam quoq; Griſoldin revocatam. His igitur omnibus ſolenne epulum, omnibus gaudiorum generibus abundans, Dominus meus

meus clementiſſimus inſtruet: ad quod etiam civitatem univerſam invitat. Quocirca adeſte, & quilibet rationibus veſtris optimè conſulite.

FINIS.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 052520530